STROZZI (Tito Vespasiano) EROTICON (4782 vers)



## *LIBER PRIMUS*

TITI VESPASIANI STROZAE POETAE ILLUSTRIS IN EROTICON
AD DIVUM HERCULEM ESTENSEM PRAEFATIO. ADLOQUITUR LIBRUM

E1_1

Vade liber Divi securus ad Herculis aedes
   nam faciles aditus regia mitis habet ;
nec vereare, licet magnis ego vatibus impar
   Sandalias biberim non Heliconis aquas ;

scis tamen ut nostras viridis Venus aurea myrti
non dedignetur cingere fronda comas.
Vade igitur, nec te properantem proxima tardent
atria, magnanimi nobile regis opus ;
parve liber, quamvis doctis ego vatibus impar
Sandalias biberim, non Heliconis aquas,
vade tamen divi securus ad Herculis aedes
nam faciles aditus Regia mitis habet.
Sed neque dum properas mirantem Julia tardent
atria, magnanimi nobile Regis opus
nec tot clara tuos teneant palatia cursus,
singula dum cupidum cernere pulchra juvat.
Juncta foro delubra petes, superosque rogabis
ut ceptae praestent omina fausta viae.
Protinus ingenti transgressus limine templi
magnorum statuas tres venerare Ducum.
Alberti ad laevam tibi erit senioris imago
qui gerit augusta sceptrum paterna manu.
Ille suas urbisque simul firmavit et auxit
Pontificis claro munere dignus opes ;
caelatusque patris magni venerabile nomen
civibus ostendit, partaque jura lapis.
Pars adversa fori, quae proxima cernitur aulae,
non minus ornatu conspicienda suo est.
Nicolaos ibi marmoreo sublimis in arcu
insidet aurato pacis amator equo.
Grandibus hic meritis hominum sibi pectora vinxit,
certus amor populi deliciaeque sui.
Filius hunc juxta solio spectatur in aureo,
Borsius illustres maximus inter avos.
Ille novum primus nostrae decus addidit urbi,
altaque jam fama contigit astra sua.
Hos pietate pari colimus, semperque colemus,
hos omnes patriae sensimus esse patres.
Quos ubi transieris, postesque intraveris altos,
incipe marmoreos dexter adire gradus.
Occurrent spatiosa tibi caenacula per quae
ad magni thalamos Herculis ire datur.
Sed cave ne pictis radians laquearibus aurum
spectanti longae sit tibi causa morae.
Ad dominum propera quem postquam videris, illi
cetera postpones quae pretiosa putas.
Fac valeas animo, divini luminis ardor
ne visus hebetet corde stupente tuos.
Ille quidem facilis, nec te, nisi fallor, euntem
despiciet, placida suscipietque manu.
Sed licet auratos tibi purpura vestiat artus,
sit bene compositis littera picta notis,
et quamvis cultu possis non vilis haberi,
haud tamen id satis est, res nisi certa probet.
Non ebore et gemmis, non auro vera paratur.
Nobilitas, aliquid majus habere decet.

Nam virtutis opes tantum ornamenta putantur
quos fortuna sua datque rapitque manu.
Haec igitur nequeunt generosum reddere quemquam ;
causam in se virtus nobilitatis habet.
Qua re, ne similem Princeps te judicet umbrae
quae norit nullos edere verba sonos.
Oscula cum dederis felici debita dextrae,
sis memor haec regi dicere verba meo :
Summe ducum quo non alius vel nomine major,
nec bello melior, vel pietate prior,
Stroccius haec jussit me limina Titus adire,
qui tua sincera numina mente colit.
Cujus certa fides, variis tibi cognita princeps
casibus, extremum stabit adusque diem.
Ille sub auspicio, primis quae luserat annis
haec prodire cupit qualiacumque tuo,
major ut accedat scriptis ex nomine tanto
gloria qua tecum vivat et ipse diu.
Nec velut egregiam me rem tibi dedicat auctor
quaeve sit Herculeo digna supercilio ;
sed potius, ne quot meritis et qualibus illum
prosequeris memorem se minus esse putes.
Sume libens animus quicquid tibi deditus offert,
non data, mens dantis respicienda tibi.
Non aspernantur puro nos corde ferentes
supplicibus votis munera parva Dei.
En quoque terrarum atque hominum cui summa potestas
peneque caelitibus par, imitare deos.
Et licet imperii te moles occupet ingens
assiduis curis detineatque sibi
fronte tamen placida, si quid praestabitur oti,
respice ad haec praesens quae tibi dona fero.
Invenies aliquid teneros hic praeter amores,
judicio damnes quod minus ipse tuo.
Teque, tuaeque leges clarissima nomina gentis
ac celebres fama quos canit ille viros.
Addita sunt etiam pedibus nonnulla solutis,
texta sit ut varia nostra corona rosa.
Utque reor proprium, quod postera forsitan aetas
sit lectura, tibi nunc meditatur opus
talia magnanimi per te referantur ad aures
Herculis o Domino care libelle tuo.
Sedulus haec postquam mandata peregeris, ut nos.
Diligat, hoc nimium ni putat esse, roga.

## QUOD DIE SOLEMNI DIVI GEORGII AMARE ANTHIAM COEPERIT

E1_2

Candida lux aderat maiis vicina Calendis,
quam festam veteres instituistis avi ;
quam pio solemni celebrat Ferraria cultu

Aurea cum admissis praemia ponit equis ;
cumque frequens tardos populus spectatur asellos
increpat et plausum turba jocosa ciet ;
cum rapido certat juvenum manus aemula cursu,
vitta retroflexam cui premit alba comam ;
tempore quo Zephirus viridantes evocat herbas
et vario pictam flore colorat humum ;
purpureo cum vere novus redit annus et ales
plurima frondosis garrit in arboribus.
Hic dum sollicito spectarem lumine cursus,
ante mea arcitenens constitit ora puer.
Aurea cui laeva pendebat parte pharetra,
nudus, et aspectu blandus et acer erat.
Isque, ubi collegit celeres, quibus utitur alas,
deprompsit nivea splendida tela manu.
Atque, ait, "O Juvenis volucrum mirator equorum,
quod mirere magis, nunc mea dextra dabit."
Dixerat, et pariter sonuit cum voce sagitta,
inque meo subitum pectore vulnus erat.
Tum calor insuetus venas penetravit ad imas
et magni patuit vis manifesta Dei.
Dum stupeo, conorque novas exstinguere flammas,
subridens pennis evolat ille suis.
Acer ut insolitae Calabri domitoris habenae
pugnat equus campis qui modo liber erat,
post tamen audacem discit tolerare magistrum,
et fractus docta concidit arte furor ;
haud aliter mentis constantia victa severae
et mea corripuit plurimus ossa Deus.
Collaque submisit domito luctantia fastu,
et dominam victor, servitiumque dedit.
Tum monuit tenerae valeat quid gloria formae
quid faciles oculi, virgineusque pudor.
Nec mihi consilio, nec prodest viribus uti,
et bene libertas ante retenta perit.
Felix, qui sacros tutus contempsit amores,
nec dominae insanum pertulit imperium ;
sed felix nimium rursus, nimiumque beatus
si cui se facilem praebuit ipsa Venus.
At mihi si legem Parcae imposuistis amandi,
si nostris haec est meta petenda rotis,
laetor siderei vultus quod imagine carpar,
qualem non aetas viderit ulla prius.
Hoc vires natura suas effudit in uno
et mirata, suum vix opus esse putat.
Si Paris hanc faciem Phrygia vidisset in Ida,
illo non isset judice prima Venus.
Huic merito potuit Juno invidisse figurae,
sub Jove si primis nata fuisset avis.
Hanc tu, si sapias, potius pro Gnoside velles
in caelum curru Bacche tulisse tuo.
Cetera cum dederint superi, tibi deerat amator,

qui caneret dotes cara puella tuas.
Ipse ego tale aliquid modo si promittere possum,
Castalioque bibit si mea fonte sitis,
Ingenium, mentemque tibi formosa dicabo,
et nostris fies nobilis ipsa sonis.
Vos, quibus aspirat flatu fortuna secundo
nec resides virtus alma jacere sinit,
vos decet aeternae praeconia quaerere laudis
sublimi eloquio, belligerave manu.
At mihi, formosam satis est cecinisse puellam,
haec studia, has artes, haec ego bella sequar.
Caerula rostratae proscindunt aequora classes,
proxima sed radit littora parva ratis.
Sic ego, cui tenue ingenium, nimis ardua linquam,
et satis est, mea si culta puella probet.
Tu modo Nympha velis paribus contendere flammis ;
quae facie praestat, convenit esse piam.
Odimus Iasidem quoniam crudelis amanti,
asperiorque suis rupibus illa fuit.
Tyndaris Iliaco si dura fuisset amanti,
non ita Maeonio carmine nota foret.
Cynthia clara minus, Nemesisque obscurior esset,
sed facilis Nemesis, Cynthia mitis erat.
Tu quoque, dulcis Anus, tali dignissima prole,
incipe nos inter connumerare tuos ;
me tibi vel generum, vel natae suscipe fratrem ;
quicquid in hac fiam, juverit esse domo.
Non vigil aerato dubitem me affigere posti,
et fessa in gelido ponere membra solo.
Nec minor est rerum mihi quam tibi cura tuarum,
haud natae custos aptior ullus erit.
Este procul juvenes, non hic corrumpitur auro
janitor, officio fungitur ipse suo.
Vos quoque nocturni procul hinc discedite fures :
insomnis custos excubat in foribus.
A quoties, cum me patientem cuncta videbis
ipsa etiam dices, non amat iste, perit ;
nec poteris nostro non ingemuisse labori,
dignaque pro meritis praemia ferre meis.
Non ego Sidonias vestes, non aurea tecta
fertilis aut agri jugera mille petam.
Una satis fuerit regno mihi carior omni
Anthia, qua felix conjuge semper ero.

## QUALIS VISA ANTHIA SEDENS SUB UMBRA IN COPPARI AGRIS

E1_3

Qualis erat roseis in odorae vallibus Aetnae,
virgineo lusu languida Persephone ;
qualis apud Xantum, nemorosa sedit in Ida
Oenone socias inter Hamadryadas ;

qualis pinifero confecta caede ferarum
procubuit Cynthi fessa Diana jugo ;
talis Coppari peragratis Anthia campis
lassa sub umbrosis concidit arboribus.
Tum mihi visa decens tam se formosior ipsa
ignea quam cedunt sidera Phoebe tibi.
Vidi ego flaventes auro certare capillos
oraque purpureas exsuperare rosas ;
vidi ego sideribus nitidos contendere ocellos,
candida Sithonias vincere colla nives.
Ipsa suo vario disponens ordine flores,
texebat facili mollia serta manu.
Quam circumfusae dictabant carmina Nymphae,
et querulae foliis obstrepuistis aves.
At vos felices, fortunataeque puellae
virginei comites consiliumque chori,
dicite siqua dedit mutato signa colore,
dicite qui vultus me veniente fuit.
Num discedentem argutis spectarit ocellis,
illius an fuerit nomen in ore meum ?
A quam ne fieret Zephyri nova praeda verebar
flamine cum molli blandior ille foret.
Quid sit amor, venti Borea didicere magistro,
quamque petunt omnes, non bene tuta manet
a quam purpureis invidi floribus amens,
sedula quos nivea legerat ipsa manu,
pertimuique Jovem ne se mutasset in illos,
fallere qui variis novit imaginibus.
Europen tauro Danaen deceperat auro
atque deum nivea dissimularat ave.
His mea vita dolis ne tu caperere timebam,
sollicitumque tuus me facit esse decor.
Nam tibi vix similem veteres cecinere poetae,
nec videt immenso Phoebus in orbe parem.
Qui vult humano caelestem in corpore formam
cernere, de facie cogitet ille tua.
Nec minus ingenio et morum candore probaris,
atque sibi talem quisque venire cupit.
Ergo prius tellus alimenta negaverit orbi,
et novus Hesperio surget ab axe dies ;
ante Pado Tagus, atque Athesi miscebitur Hister
pectore quam vultus defluat iste meo.
Felices quibus et caram retinere puellam
semper et in tuto vivere amore licet ;
quos neque turbarit vigilans in limine custos,
dulcia nec tristis gaudia norit anus ;
nec quibus insidias obscura nocte pararit,
exiliens tacitis aspera turba locis :
haec mihi saepe nocent, haec sunt mihi saepe timenda
me tamen in primis callida torquet anus.
Illa meos aditus servat, timidamque puellam
territat horrendis imperiosa minis.

Hanc, tibi cum dabitur ludendi copia, falle,
Anthia nec placidum tempus obire sine ;
nam non semper eris, qua nunc formosa juventa
jam veniet celeri curva senecta gradu.
Ut violas roseumque vides cessare decorem,
squalet ut amissis horrida silva comis,
Candida sic etiam facies abeuntibus annis
deficit et nil tum poenituisse juvat.
Candida sic paucis facies venientibus annis
deficit heu non tum paenituisse juvat.
Ante igitur quam sponte cadat, decerpere florem
expedit et genii consuluisse bonis.

## LAUDAT ANTHIAM A FORMA ET MORIBUS

E1_4

O bene conveniens capiti velamen honesto
sidereos oculos, aurea fila comas,
o teneram, levemque manum, cui Juno Venusque
invidisse queant et tua Phoebe soror ;
o niveos artus, pulla sub veste latentes
et non humanis edita verba sonis ;
o dulces risus, habitum, moresque venustos ;
o nulla laesam labe pudicitiam :
vos in me insolitum vos in me accenditis ignem,
imaque furtivus corripit ossa vapor.
Vos mihi sollicito rapitis de pectore sensus,
et votis alitur spes animosa suis.
Aspicite, ut vero pro corpore restet imago,
et nisi fertis opem, mox ego nullus ero.
At tu naturae Decus, exemplumque potentis
qua non est Latio pulchrior ulla solo,
Tu nitidos in me converte parumper ocellos
queis potes obscura reddere nocte diem.
Tu precibus non dura meis praesensque faveto.
Et mihi, si fas est, dicito noster eris.
Mortales aequat superis clementia divis
et miseris rebus consuluisse pium est
si dedit egregiam faciem natura puellis,
non adamanteum pectus habere jubet.
Nec jubet exitio tristi laetentur amantum,
fallitur, id suadet si qua puella sibi ;
sed placidi mores, et rusticitate carentes
cum tibi sint, nimium mens mihi casta nocet.
Mens mihi casta nocet, qua tu formosa triumphas
et qua summa tuum sidera nomen adit.
Non tamen invenies in nostro crimen amore,
non animum turpis, sed pia cura movet.
Nosque precor societ placidos Hymenaeus in annos,
atque maritales praeferat ipse faces.
Hoc si contigerit nec dedignata recuses,

despiciam magni ditia regna Midae,
nec magis Assyrii quaecumque est gaza sepulchri
aut opus optarim nobile Pyramidum,
nudus Amor non curat opes ; discedat ab illo,
sollicitae quisquis servit avaritiae.
Quem potius pretium quam culta puella movebit,
dignus cum censu est ille perire suo.
Non animum nobis adeo tribuere tenacem
fata, nec ingenium sordida cura premit.
Cui tantum superest ut vivere possit honeste,
gaudeat hoc fines praeteriisse nefas.

## DE DISCESSU ANTHIAE EX URBE FERRARIA

E1_5 Postquam Ferrariae discedens moenia liquit
Anthia, Ferrariam liquit et ipsa Venus.
Mollis Amor simul Etruscas migravit ad urbes,
secum blanditias, deliciasque tulit.
Sed licet ad Tanaim, rapidumque feratur Hydaspem
Herculeas quamvis transeat illa vias,
quaque rotant fluctus alterno vortice Syrtes,
per mare, per terras, subsequar ipse tamen.
Nunc utinam sumptis imitarer Persea pennis,
nunc vellem ingenium Daedale docte tuum.
Nunc ego Medeae, quo fugit Jasona currum
optarim, volucres Triptolemique rotas,
Scilicet ut dominae subito improvisus adessem,
duceret ingratas neu via longa moras.
Quo propero infelix ? Pergamne per aspera saxa ?
Per gelidas Alpes, perpetuasque nives ?
Quid si latronum occurrat manus impia, raptis
vestibus, immitique petat ense caput ?
Aut nemorum latebris, aut alto monte ruentes
dilacerent rabidae membra cruenta ferae ?
Novimus infaustos casus, discrimina amantum :
fata obstant laetis invida principiis.
Pyramus exemplum probet, miserandaque Thisbe,
quos rapuit simili mors violenta modo.
Testis adest, animos cui conscia virgo natanti
saepe in arenoso litore visa dedit.
Ille per insanas mediis aquilonibus undas
ibat, ut optata posset amante frui.
Nec revocare minis genitor, nec flectere mater
blanda potest, ultro sed periturus abit.
Jamque procelloso positurus in aequore vitam,
hei mihi congeminat, Sesta puella, vale.
Sesta puella vale, clamabat, et ecce loquentem
praeruptus vastae supprimit agger aquae.
Praeterea jam forte novum suspirat amorem
Anthia, nec fidei, nec memor ipsa mei.

Rara quidem fida est, oculus nisi nutriat ignem,
femina, juratos vix timet ulla deos.
Perfida securum sic te Menelae fefellit
externa ad Trojam vecta Lacaena rate.
Arsit in Aegistho furiosi mater Orestis,
dum gerit Atrides vindice bella manu,
multae etiam, quarum veteres meminere Poetae
deseruere viros, legitimamque fidem ;
his fortasse meam poterunt numerare puellam
atque ideo doleam cur ego, semper erit.
Me miserum, quonam Dominae fiducia cessit ?
Quid queror ? Et vano terreor ipse metu ?
Parce precor, mea lux, si quid male lingua locuta est,
omnia magnus Amor tuta timere jubet.
Sic Deus ille mihi stimulum sub pectore fixit,
raraque cum casto forma pudore venit.
Sed tua Penelopen superat constantia, quamvis
illa sit Argolicae fama pudicitiae.
Ibo, igitur nec me certum tardabit eundi
tristis hiems, segnes impiger odit amor.
Illius aerias pennis tranabimus alpes
atque aderit nostrae Dux Cytherea viae.
Tuscus at incolumem postquam me acceperit Arnus,
et Dominam dabitur posse videre meam,
tunc ego velatus myrto viridante capillos
persolvam magnis debita vota Deis.

## AMICA POTITUS GLORIATUR

E1_6

Di superi, Venus alma, puer venerande Cupido
nox hesterna mihi gaudia quanta dedit ?
Clara sub obscuris latitabant nubibus astra,
condiderat vultus candida luna suos.
Ad Dominam furtim, superato culmine tecti,
conscia me jusso tempore duxit anus.
Mollia quis variis amplexibus oscula mista
narret ? Et in teneris dulcia verba jocis ?
A quoties esset cum jam lassata voluptas
mutua, blanditiis est revocata venus !
Quam me praeteritos casus meminisse juvabat
et fusum in niveo multa referre sinu !
Ite procul, segnes, atrae quos tempora noctis,
terrent, et multa nubilus auster aqua ;
praecipiti quibus ad dominam timor ire fenestra
obstitit, ite procul, linquite signa ducis.
Fortibus intrepidi sunt castra cupidinis apta,
et juvenum audaces adjuvat ille manus.
Sive novos aliquis furtim tentavit amores,
seu fallet segnem cauta puella virum,
ipsa Cytheriaco despectans vertice terras

annuit, ac ridet dulcia furta Venus.
At mihi si tecum tales perducere noctes,
teque meo liceat vita tenere sinu,
congerat o quantum cupiat sibi quilibet auri,
me satis est duram pellere posse famem,
aestivamque sitim sedare fluentibus undis,
et satis est humiles incoluisse casas.
O quam me in viridi tecum recubare juvaret
gramine fagus ubi funderet alta comam,
mille rigans flores nitidis ubi rivulus undis
per vicina levi serperet arva sono.
Illic et volucrum sub opacis abdita ramis
continuat querulos garrula turba modos,
silvarumque comas tenui movet aura susurro
gratior et mulcet languida membra quies,
crimen apri formosus Adonis, et ipsa Dione
saepius in solis delituere locis.
Sic Paridi Oenone, sic caeli sede relicta
dignata est tenera Luna coire proco.
Montibus ante Jovem juvenes pariterque puellae
errabant, viguit tunc sine labe pudor.
Pace tua gens prisca loquar, sic credere oportet,
durus in hoc ego sum subdubitoque tamen.
Atque utinam nobis iterum mos ille rediret,
nunc melius scirent commoditate frui.
Non ego saepe graves perferrem mente dolores,
humida nec lacrimis lumina nostra forent.
At tibi qui facilem custodis dure puellam,
janitor exitium numina triste ferant.
Sit domino suspecta fides tua, teque perosus,
insidias vitae praeparet ille tuae,
ut vigiles semper numquam tamen omnia cernes,
decipit astutos ingeniosa Venus.
Io non Argus ; Danaen non ferrea clausam
hostia servarunt, Acrisiusque pater.
Tu, cui pro meritis oculum despecta juventus
evulsit, demens cuncta videre putas ?
Si mihi credideris, aditum dabis usque petenti,
adventu nec erit janua clausa meo.
Tunc ego te propter vitae discrimen adire
non dubitem, et patriis me spoliare bonis ;
tunc ego te Poeno Latium qui terruit orbem
et cuicumque voles janitor ante feram.
Ferre nec ista tua pro libertate recusem
in me traslato vincula servitio.
Eheu quid precibus fluctus placare tumentes
conor et iratis perdere verba notis ?
Illum monstrifera genuit Polyphemus in Aetna
inque truci durum pectore marmor habet.
Fraude mea capiendus erit, mihi namque futuri
composuit magicum praescia carmen anus.
Illa soporiferum liquido cum melle papaver

miscuit et variis gramina secta locis.
Haec docuit Baccho diffundere, dicere verba,
queis sopor invitis eliciendus erit ;
multaque de caelo quibus ignea sidera ducit
et rapidi ad fontem fluminis unda redit.
Illa annos adimit senibus, labefactaque mira
arte cupidineas mittit in ossa faces.
Cum libet insolito juvenes inflammat amore,
cum libet, exstincto deficit igne calor.
Illa jubet fractis manes prodire sepulchris,
nigraque terrifica Tartara voce movet.
Carmine longiquos messem traducit in agros,
et cantata suum deserit herba solum.
At vos Caelicolae nostris ignoscite coeptis,
non mea contemnit numina vestra fides ;
nec soror hos Phoebi metuant, nec sidera cantus,
hac domina tantum quaerimus arte frui.

## AD ANNULUM QUO DONATUS FUERAT AB AMICA

E1_7 Annule dulce mihi dilectae munus amicae,
annule delicias inter habende meas ;
tu licet excellas auro pretiosus et apte
gemma sit artifici clausa magisterio ;
est aliquid, mihi quo meruisti gratior esse,
scilicet in nivea te tulit illa manu.
Illa etiam dono cum te mihi tradere vellet,
in primis monuit quod sibi carus eras.
Mecum igitur semper noctesque diesque manebis,
mille tibi amplexus, oscula mille feram.
Inque sinu ponere manus dum nostra lavatur,
invida ne nitidum te mihi laedat aqua.
Tu modo laeva cave commissum perdere pignus,
si qua hoc mandantis gratia tangit heri.

## APOLOGIA PRO AMORE AD IANUM PANNONIUM. ANTIQUIS VATIBUS COMPARANDUM, QUI POSTEA CREATUS EST QUINQUECCLESIENSIS EPISCOPUS, UT SINAT SE PLACITO INDULGERE AMORI

E1_8 Quis novus ille sacri vates Heliconis in antro
cujus Apollineum carmen ab ore sonat ?
Dicite Pierides ubi primos egerit annos,
quae tener insueto presserit arva pede.
Quo duce lauriferae peragraverit avia silvae,
sub quibus ille vagans luserit arboribus.
At nisi mens fallit, videor cognoscere vatem :
hunc Heliconiades vos aluisse ferunt.
Vos canere arcano puerum docuistis in antro,

pulsaque fila levi sollicitare manu.
Ipse sacris adhibere choris dignatus Apollo,
jussit honorata cingere fronte caput ;
perque pias duxit sedes et amoena vireta,
plurima Pegaseos qua tegit umbra lacus.
O nimium felix o fortunate poeta,
ingenio priscis aequiparande viris :
ecce tibi faciles donant sua carmina Musae,
nec negat Aoniam pulcher Apollo lyram.
Jam tibi pallentes hederas thyrsosque merenti
praebuit, et currus Euhius ipse suos.
Nec tibi deficiunt ubi vis intendere vires
ardua sive libet, seu leviora sequi.
Quid formae decus, et mores, sanctumque pudorem,
quid referam vitae candida facta tuae ?
Omnia praesentes superi tibi Jane dedissent,
ni vacuum dulci pectus amore foret.
Immeritas nec jam satis est odisse puellas,
tristia sed tetrico carmine bella paras.
At mihi servitium capto, dominamque ferenti,
objicis extremae crimina desidiae.
Quodque diu fuerim mordaci fabula vulgo,
nec patriis humilis tollar imaginibus ;
nec quod amans, rectum videam, cum plurima cernas
subjectus nullis ipse cupidinibus,
incautumque vocas et sane mentis egentem,
cujus sit dubio credita cymba mari.
Munera quin etiam carae pretiosa puellae
ut suspecta mihi despicienda putas.
Saepe refers dulci sub melle venena latere,
et placitis hamum saepe subesse cibis.
Quanta puellari levitas in pectore regnet,
quam cito consuerint credere falsa mones ;
quid valeant herbae, quid noxia crimina narras,
et quodcumque Venus monstret iniqua nefas.
Multaque feminei memoras exempla furoris,
transversas olim quas malus egit amor.
Acrior his ut me redimam rationibus urges,
utque velim ex humili tollere valle caput.
Tum positis levibus curis, et amore relicto
regia sublimi condere bella pede.
Non equidem adversor tibi me nunc Jane monenti
atque meae fateor crimina nequitiae.
Nec te Thersiten potius vel Nestora dicam,
tam bene qui noris, tam graviterque loqui.
Sed tamen aut fatis aut longo impellor ab usu ;
optima cum videam, deteriora sequar.
Non secus assiduis confectus febribus aeger,
invisam medicae despicit artis opem.
Tum succos omnes, medicamina cuncta perosus,
negligit infirmi corporis auxilia.
Forsitan huic poteras olim succurrere morbo,

cum primo illatum nec grave vulnus erat ;
nunc sero medicina datur, nec inania posthac,
proderit amisso claudere septa bove.
Non ita praecipites agitantur in aequore cymbae,
cum notus Ioniis fluctibus insonuit,
ut me versat Amor pectus populatus et omne
jus animi atque suo me regit arbitrio.
Talis permultos tulit exitus, me quoque Titum
auferat, hoc noster limite currat equus.
Mortales omnes neque enim trahit una voluptas
ingenio sequitur proxima quisque suo.
Hunc rapit armorum sublimem gloria caelo
proferat ut domitis gentibus imperium.
Lucra petens mercem fuscis vehit alter ab Indis,
alter ab Oceano flave Britanne tuo.
Ille sacris caelebs superum se dedicat aris,
hic notat astriferi lucida signa poli.
hunc juvat occultas naturae discere vires,
et procul a vulgo condita mente sequi.
ille Machaonias animum convertit ad artes,
versat hic antiquum sedulus Hippocratem.
Hunc juris lassant numerosa volumina ; at illum
nobilibus studiis docta Minerva tenet.
Me mea sors tenero voluit succumbere amori,
et mihi pars hujus credita militiae est.
Non ut rere tamen (liceat mihi vera tueri),
desidiam castris dux habet ille suis.
An tibi cum vigilet totas ad limina noctes
anxius in dominam segnis amator erit ?
Quem labor haud ullus, quem non via longa fatiget
ignavi turpem sustinet ille notam ?
Strenuus oppositos audet trascendere montes,
horrida nec Boreae frigora curat amans ;
nec trepidi tardant undis spumantibus amnes,
cum fluit ex altis nix resoluta jugis.
Lentus erat juvenis, cum saeva per aequora nabat,
quem tepido fovit Sesta puella sinu ?
An Turni solitas vires, animosque Cupido
fregit ? An ignavum reddidit Aeaciden ?
Ferre famem, tolerare sitim, contemnere somnos,
Dura pati didicit plurima, quisquis amat.
Sed non quae deceant positi sub nubibus atris
cernimus, et vobis purius ista patent.
Semivirum didicit monstrante Cupidine Theseus,
qua voti compos perderet arte bovem.
Incolumis numquam patriae tetigisset Iason
littora, Phryxeae vellere clarus ovis,
ni bene suadus Amor vitare pericula tanta,
poscere virgineam ni monuisset opem.
ille dat ingeniis vires, animique vigorem
excitat, ille rudes praeficit arte viros.
Ast incerta sequor te judice, nec mihi fas est

noscere quem mea sint vota habitura modum.
Haec quodcumque hominum fruitur vitalibus auris
sors habet, et fati nescia jura latent.
Tune putas nostris exceptum legibus esse ?
An tua sors melior sorte putanda mea est ?
Si mihi difficiles casus memorabis amantum,
sunt quibus indulsit non inimica Venus.
Haud semper vultu spectat fortuna minaci
non omnis rabido est agna dicata lupo.
Caede Neoptolemus patria si territus esset,
liquisset turpi Dorica castra fuga.
Cum toties fuerint infidae puppibus undae,
creber in aequoreas navita fertur aquas.
An quia Cadmeum juvenem laceraverat olim
montibus Aoniis effera turba canum,
segnior Hippolytus silvis, canibusque vacavit ?
Venandi Cephalo cura minorve fuit ?
Nec tu Palladias ideo nunc despicis artes,
hae licet intulerint plurima saepe mala ;
docta licet quondam magni Demosthenis ora
in dominum fuerint perniciosa suum,
exitium ingenio quamvis sibi triste pararit,
gloria Romani Tullius eloquii,
causaque Nasonem similis procul urbe fugatum
impulerit Getici litus adire maris ;
munera cur spernam gratae mihi pignora mentis
quae summo quaeri digna labore forent ?
Gemma erit in pretio, quam se mercator avarus
finxerit a rubri litore ferre maris ;
annulus artis opus mirae mihi vilis habendus ?
Quem tulit in digito dia puella suo
cui neque nostra parem, neque prisci temporis aetas
vidit, nec similem saecla futura ferent.
Quam suavis placido comitatur gratia vultu,
tristis ubi nullum vendicat ira locum ;
quae me non dubitat nitidis praeponere ocellis,
quae mihi vel proprio corpore cara magis.
Haec in nos igitur magicas meditabitur artes ?
Miscebit timida toxica dira manu ?
Thessalicos esto ritus, herbasque nocentes
noverit, atque ausit quaeque nefanda sequi,
quo reus admisso merui sperare venenum,
immerito miseram cur paret illa necem ?
Quid metuam invitus ne carmine cogar amare
cum nostrae cedant carmina cuncta Deae ?
Hac Laertiaden facie Phoebeia Circe,
Phasias hac potuit detinuisse virum.
Hac mea difficili vinxit praecordia nodo
illius ut nulla solvar amore die.
Quod si credentem nimium mutare puellam
criminibus fictis improba lingua valet ;
imminet hoc aliis etiam commune periclum

in fera quos eadem proelia lingua ciet.
Illa propinquorum communia jura resolvit,
foederaque antiquae rumpit amicitiae.
Conditio haec multos non solos tangit amantes,
haec te sollicitum reddere cura potest.
Non saevi (ut scribis) Catilinae femina mentem
compulit : in facinus dux fuit ipse sibi.
Nam furor immitis, quo perdere cuncta parabat
egit, ut in prolem verteret arma suam.
Tarquinum rapuit dominandi caeca libido,
materiam sceleri quae dare saepe solet.
Si Danai proles cognato sanguine ferrum
tinxit securis insidiata viris,
causa fuit genitor justis metuendus acerbis
ut formidatas tolleret ipse manus.
Lemniadum mentes agitavit numinis ira,
nec sontes reliquas impia Scylla facit.
Thesiden contempta Venus non Cressa peremit ;
ulcisci offensas sic solet ipsa suas.
Amphitryoniades non crimine Deianirae,
fraude sed occubuit perfide Nesse tua.
Molle dedit teneris pectus natura puellis,
quas tamen impellit justus in arma dolor.
Audierat partim, partim delicta mariti
viderat Aegisthi, Graia secuta fidem ;
laesaque natorum maculata est sanguine Colchis
et Progne infidi conjugis ulta nefas.
Cur omnes igitur sceleris tua carmina damnant ?
De tot paucarum crimina si qua vides ?
Extulit hunc etiam celeberrima gloria sexum,
et monimenta suae plurima laudis habet.
Virginitas ultro servata et bellica virtus
magnum Orithyae contribuere decus :
Lampedon, Hippolyten, Menalippen, Jane, videmus
illustres inter nomen habere viros.
His quoque se comitem merito Marthesia jungit,
nec caret Antiope laude, nec Harpalice ;
magnanimam Tomyrin, fortem propone Camillam
et subeat menti Penthesilea tuae.
Adde et Amazonia reliquas de stirpe sorores ;
respice Carmentam, respice Penelopen.
Ulta nefas animo, propriaque Lucretia dextra
invicto occurret clara pudore tibi.
At rapidum nando transmittere Cloelia Tibrim
ausa suis animis praemia digna tulit.
Quid te commemorem vestalis Claudia virgo,
qua stetit attoniti vindice fratris honos ?
Quisve tuum dignis nomen Cornelia tollat
laudibus ? Aut animum Porcia casta tuum ?
Quis te praetereat generosi pectoris Esther,
non bene damnatos protinus ulta Syros ?
Quisve Palaestina genitam te stirpe virago

spem taceat patriae, subsidiumque tuae ?
te duce libertas Moseae reddita genti,
Assyriusque tua concidit arte furor.
Si fortasse petes exempla recentia, nonne
cognita perpetua laude Mathildis erit ?
Sponte opibus spretis regnum Violanta reliquit,
seque sacri sociam maluit esse chori.
Nec tamen hanc illi vel inanis gloria mentem
vel praeceps studium simplicitasve dedit,
sed ratio constans haud turpi obnoxia voto,
ac vitae tendens ad melioris iter.
Harum ingens numerus terras florere per omnes
cernitur, hac caelo queis datur ire via.
Legibus his etiam multas numerare solutas
possumus, insignes moribus, atque fide.
Sed procul a coepto videar discedere, si tot
insistam exemplis quae bene nota tibi.
Denique seu belli, seu pacis munera quaeris,
seu nova seu prisci tempora acta leges,
plurima quae laudes muliebria facta videbis,
vix plures titulos fama virilis habet.
Turpiter his hostem cum te fatearis, amice,
ac fugias vitae quae tibi nata comes,
Ede quid esse velis, quem te mihi dicere fas sit.
Aptane quaerendis laudibus ista via est ?
Obscaenum laeso vitae candore relinquis
judicium, verbis proditus ipse tuis.
Atque aliquid licuit mihi credere, ni bene nossem
ingenuos mores, Socraticamque domum.
Ipse ego, naturae ducentis jura sequutus,
pergam, quo coepi tramite, ferre pedem.
Nec tamen immerito, quid enim praestantius umquam
pacifico genius mitis amore tulit ?
Ille decus caeli et superum jucunda voluptas ;
hoc absente, Jovis regia tristis erit.
Illius adventu gaudent volucresque feraeque,
quicquid alit tellus, aequora quicquid alunt.
Hic pacis deus est, et amabilis optat amare ;
spernit opes, odit turpia, pulchra cupit.
At quae bellipotens exercet Vitricus arma,
non probat, et nulla est caede cruenta manus.
Si quis amans aliquid sine lege, immane, nefandum
molitur, nullum hic crimen Amoris erit.
Nam male compositae praeceps insania vitae
mortales animos in scelus omne trahit.
Implacidas hominum docuit mansuescere mentes,
dulciaque objecit pabula mollis amor ;
ille truces fastus, violentaque pectora lenit
nec regum claris cedit imaginibus ;
Aeneamque suum ne non foret omnibus idem
accendit vultu candida Elisa tuo.
Nil sua facundum solertia juvit Ulyssem,

nec magno virtus profuit Aeacidae.
Pauper adhuc luxu penitus dum Roma carebat,
sceptrifer Aegeriam fertur amasse Numa.
Aurea progenitum divino sanguine Caesar
spicula cognati te petiere dei ;
ille ferum Hannibalem domuit, regemque superbum
area cui totus parvula mundus erat.
Sensit et Atrides vim numinis hujus et arma,
concidit Argolica quo duce Troja manu.
Pectora quin etiam magni incaluisse Platonis
cujus tam celebri carmine notus amor.
his comes accedit Calvus, mollisque Catullus
atque Anser flammas qui cecinere suas.
Abstulit ardentem Gallum formosa Lycoris ;
carmine amatoris Cynthia clara sui est.
Vivit ab insigni Nemesis celebrata Tibullo ;
vivit Pelignis nota Corinna sonis.
Ille sacri vates operis Jessaeia proles
praefecit populo quem Deus ipse suo ;
Bersabeae captus forma tibi magne Cupido
cessit nec Salamon tutior ipse fuit.
Quique Philistaeos subita oppressisse ruina
dicitur et certam non timuisse necem,
succubuit victus, teneroque vacavit amori
nec puduit domina multa jubente pati.
Nil magis horrendum Polyphemo senserat Aetna ;
saevior indomitis fratribus ille fuit.
Dum tamen aequorea siccas in rupe capillos,
exarsit visa te Galatea Cyclops.
Admovitque preces blandus, studioque placendi
insolita rigidam pescuit arte comam.
Jam tibi poma legit, tibi pastoralia cantat
carmina ; lanigeras jam tibi servat oves.
quem neque proposito pietas humana nefando,
arcebat magni cura nec ulla Jovis,
leniit hunc blandae Veneris placidissima proles,
quae valet aeternos sollicitare deos.
Suspice quam nitido mutata effulgeat astro
Frigida veliferas quae regit Ursa rates ;
suspice Sidonii radiantia cornua tauri,
ab Jove quae caelum pignus amoris habent.
Quis vero innumeros Alcidae nesciat ignes,
et quot saeva manu monstra subegit amans ?
Tu quoque amator eras cum Thessala rura tenenti
praestabat citharae fistula Phoebe vicem.
Quid Steropen, Veneremque sequar ? Quid Pallada quidve
Ilian hic referam Mars placuisse tibi ?
Persea quid memorem, dubiae qui praemia pugnae
Andromeden subito saucius igne tulit ?
Quidve triumphato dum victor ab orbe redires
lyncibus avectam Gnosida Bacche tuis ?
Arsit in Alcyone gelidarum rector aquarum ;

cepit Amymone Laodiceque deum :
illi cura fuit Tyro et formosa Celaeno,
anguibus et nondum cincta Medusa caput.
Sit licet Oceanus spatiosis obsitus annis,
flagrat inexstincto Tethyos igne suae.
Tithonusque pater cano venerabilis aevo
te Dea venturae praescia lucis amat.
Hippotadem rapido ventorum turbine lassum,
pulchra fovet niveo Deiopea sinu.
At Zephyrum Chloris quae floribus arva coronans
efflat odoratis lilia mista rosis.
Quo me saeve feres aquilo ? Num te quoque victum
credibile est ullas sustinuisse faces ?
Horridus ille licet superis, terrisque minetur
aequora terribili concitet alta sono,
litore ab Actaeo placitam rapuisse puellam
dicitur et votis consuluisse suis.
Nec tamen a Latio, gelidae sed rupibus arcti
et patriae rigido venit ab axe tuae.
Arsit et implacidus Stygii dominator Averni,
duraque permulsit pectora blanda Venus,
virgineamque ferens sub regna latentia praedam
noctifero pavidam terruit axe diem.
Denique cuncta videt subjecta cupidinis armis
aethere prospiciens Phoebus utrumque polum.
Nec mare, nec terras, nec sidera summa moveret,
ni quiddam egregium, ni deus esset amor.
Omnia cum nullo superet discrimine, quidnam
mirum est, in tanto si grege Titus amat ?
Nam mea Nestoreos aetas nondum attigit annos,
nec me Tithoni longa senecta premit.
Nunc Venerem tractare decet, nunc dicere cantus,
nunc dare flaventi mollia serta comae.
Tu quoque quid faceres tales sortitus ocellos,
quales non Io non tulit Antiope ?
Nempe tibi caderent tam fortia verba, nec ullam
Scaevola vel Cicero tradere posset opem ;
ille licet juris fuerit, legumque peritus,
alter Palladio noverit ore loqui.
Desine velle meos abrumpere durus amores,
et sine me placido vivere servitio.
Quisquis ab hoc vitae poterit me avertere cursu,
ille avidam Titii pectore pellet avem ;
Tantaleamque sitim fugitivis leniet undis,
atque tuum infelix Sisyphe sistet onus.
Clarus erat bello, bello quoque concidit Hector
et periit notis Tiphys in aequoribus.
Ast ego quem certo jampridem perculit arcu,
aligeri semper miles Amoris ero ;
et tibi quem curis vacuum respexit Apollo,
grandisona linquam bella canenda tuba.

EXPLICIT

E1_9

Despice parve liber morsus livoris edaces,
   jam tibi Caesareo contigit ore legi.
Maxima perpetuae referes praeconia laudis,
   carmina judicio si probat ille suo.

# *LIBER SECUNDUS*

DE LEPORE DOMINAE FUGITIVO. NYMPHAS ROGAT UT NIVEI LEPORIS A DOMINA SUA FUGIENTIS ITER INDICENT, SIBIQUE RESTITUANT SI CEPERINT EUMQUE HORTATUR AD DOMINAM REDEAT ET LIBERTATEM LAUDAT.

E2_1

Dicite io Nymphae nemorum secreta colentes
   candidus effugiens qua lepus egit iter ;
perfidus auratae subduxit colla catenae,
   ipsaque cum sancta vincula rupta fide.
Dicite, sic vestro faveat Dictynna labori,
   praebeat innumeras sic locus iste feras.
Florida semper humus Zephyro silvaeque virescant,
   nec liquidam turbet cum grege pastor aquam.
Cynthia sic penitus vestros ignoret amores,
   nec placidum furtis antra cubile negent.
Quid tacitae spectatis ? Et ingens pectora vobis
   occupat, apposita risus ad ora manus ?
Ne lacrimas gemitusque meos, ne verba puellae
   temnite, consilium ferte, et opem mihi.
Illum equidem reor hos saltus haec lustra petisse ;
   signa canum late turba secuta dedit.
Ullane de comitum numero quae retia tendunt,
   fallaces timidum compulit in laqueos ?
Reddite Hamadryades, nostrumque levate dolorem,
   nec miserum tristi sollicitate mora.
Reddite, vosque mihi me restituisse putabo :
   lusus erat Dominae deliciaeque meae.
Hunc ego per virides umbras cum matre vagantem,
   ad ripam excepi Sandale amoene tuam,
parvus erat, totoque nitens in corpore candor ;
   Maeandri niveas exsuperabat aves.
Hic ego quam primum, dixi, mittatur amicae,

nulla quidem tali munere digna magis.
Paulatim positoque metu mitescere coepit,
et Dominae teneros accubat ante pedes.
Et modo protenta virides cervice corollas,
accipit ac tergum molliter aure premit,
et modo formosae lambens fert oscula dextrae,
porrectas avido nunc capit ore dapes.
Illa puellari studio depectere sueta,
securum nitidis saepe lavabat aquis.
Gratus erat nimium dominae, nunc luget ademptum
et cupit insano victa dolore mori.
Per superos oro Nymphae castamque Dianam,
reddite si vestros incidit in laqueos.
Aut vobis saltu si se tulit obvius isto,
dicite quo celerem corripit ille fugam.
A quam ne trucibus timeo sit praeda molossis,
et viridem lacero corpore tingat humum.
A demens in aperta ruis discrimina vitae,
improbe, quid dominam, notaque tecta fugis ?
Humano cultu assuetus, pasceris amaro
gramine, nec semper copia fontis erit.
Sed qua tarda graves agitabunt plaustra juvenci,
sordida vix avidam leniet unda sitim.
Saepe levi strepitu folii lambentis ab ulmo,
anxius in duro cespite somnus erit.
Huc ades et veniam supplex pete, pone timorem,
si redeas, parcet protinus illa tibi.
Novi animum, novi ingenium, quod molle piumque
nesciat irasci, nesciat esse ferum.
Sed quid verba juvat, questusque effundere inanes ?
Nec prece nec lacrmis perfidus ille redit.
Forsitan, aut viridi ludit lascivus in herba,
aut novus inventa conjuge gaudet amans.
O nimium felix, generoso pectore digna
libertas, cunctis anteferenda bonis,
non te solliciti congestum divitis aurum,
torquet et immensas candida temnis opes.
Te propter ferus hic illectus sprevit heriles
blanditias, gratum quicquid et ante fuit.
Non tamen usque adeo nobis optanda videris,
quin malim dominam servitiumque pati.

## AD CYTHERIDEM, QUOD EIUS CAUSA MITTATUR IN EXILIUM

E2_2

Eheu quam miseros spes credula fallit amantes,
quam levis instabili vertitur orbe rota.
Ille ego, qui placido felix in amore ferebar,
quem facili toties audiit aure Venus,
nunc dominam jubeor patriasque relinquere sedes,
et procul immeritum pellor in exilium.

7 Hoc mihi, non facinus peperit, sed me mea lingua
8 perdidit ausa nimis libera verba loqui.
9 O utinam miserum pietas me nulla Cytheri
10 movisset, lacera cum traherere coma.
11 Vel tua pressissent anima fugiente parentes
12 lumina, quo fatis tristibus orta die es.
13 Te propter poenas dabimus, tu maxima nobis
14 non exspectati causa doloris eris.
15 At quocumque feret me sors inimica sequendum est,
16 saevitiem donec temperet illa suam.
17 Praecinctum nactus lapidosis rupibus antrum,
18 de domina solus conquerar ipse mea ;
19 effundam quoscumque premo sub corde dolores,
20 et quaecumque diu non patienda tuli.
21 Dictum etiam tenerae quanta inconstantia formae
22 juncta sit, utque meos gaudeat illa malis.
23 Tum referam nimios fastus, ingrataque facta,
24 et tuto quicquid sentiet ira monet.
25 Vos modo Hamadryades miseros ne prodite questus,
26 nec vos ruricolae turba benigna Dei.
27 Praecinctum nactus lapidosis rupibus antrum,
28 solus ibi duram conquerar in dominam.
29 Et lassata gravi singultu pectora rumpam
30 mixtaque cum miseris verba dabo lacrimis.
31 Effundam quoscumque premo sub corde dolores,
32 et quaecumque diu non patienda tuli.
33 Dicam etiam tenerae quanta inconstantia formae
34 juncta sit utque meis gaudeat illa malis.
35 Tum referam nimios fastus ingrataque facta,
36 et tuto quiquid sentiet ira vomet.
37 Vos modo Hamadryades miseros ne prodite questus,
38 nec vos ruricolae turba benigna Dei.
39 Sic vobis silvae secreta cubilia praestent,
40 sic vobis numquam non sit amicus amor.
41 Ipse meam rebar portum subisse carinam,
42 nunc agitor mediis naufragus aequoribus.
43 At tu quid tanto contendis acerba furore,
44 quid juvat e nostris nomen habere malis ?
45 Nil toties formae facies aequata Dearum,
46 nil prosunt laudes, nil benefacta mihi ?
47 Sed caput hoc quamvis ferro insecteris et igni,
48 non potero tibi non deditus esse tamen.

## AD HIERONYMUM CASTELLUM MEDICUM.
## AD IOVINIANUM POETAM SICULUM QUOD ANTHIA SIBI IN AMORE NON RESPONDEAT.

E2_3 v.1 Sic venus insanos, Hieronyme, leniat ignes
2 ut miser assiduis uror amans facibus.
3 Illa tamen laeto spectare incendia vultu
4 sustinet, ac nostris ridet iniqua malis.

Sed quo dura magis misero adversatur amanti,
Hoc magis attonitum me nova forma rapit,
atque ubi nox terras gelidis circumvolat umbris
non levis insurgit pectore cura meo.
Ante oculos nigri Dominae referuntur ocelli
collaque Riphaea non minus alba nive.
Miror ut incedat gressu veneranda superbo ;
fulgeat ut nitido pressa adamanto coma.
Sive lyram increpuit, seu carmina dixerit, uror,
sive agiles docta moverit arte pedes.
Singula dehinc vigilans volvo, sensusque labantes
et mentem implicitam vexat acerba Venus.
Tum magis atque magis noctes deflentur amarae,
nec mihi Pierides nec mihi Phoebus adest.
Jamque tuis valeas musis comitatus Apollo,
si minus hac Dominae frangitur arte furor.
Alphonsi non arma cano victricia regis,
quantave sit domita gloria Parthenope ;
nec refero quae sint Leonello in principe laudes,
quem velut Augustum secula nostra colunt.
Non Sigismundum belloque armisque frementem,
qui Malatestigenas nomine vincit avos.
Nec te quem Latias jam nunc Federice per urbes
extollit forti gloria parta manu.
Non Venetos canimus, terra pelagoque potentes,
Tyrrhenasve acies Sforzigenamque ducem.
Non acres Insubrum animos, tandemque subactos
Marte gravi, aut regem Mantua clara tuum.
Haec ego non ausim nostris intexere libris :
una puella mei carminis extet opus.
Quae nisi se reddat nobis laudata benignam,
Bellerophontei gloria fontis abi.
Ecce per obscuram ingredior miserabilis umbram,
et dominae immitis tecta superba peto :
hic me cogit Amor lacrimas, suspiria, questus
mixtaque cum multa fundere verba prece.
Oscula do foribus, veluti sit sensus in illis,
utque aditum ad Dominam dent mihi multa rogo.
Limina complector, per quae vestigia ponit
et veneror quicquid contigit illa pede.
Inde meos frustra incipio numerare labores,
nec flectit duros vana querela deos.
Quid miser incuso reliquos ? Ignoscite divi
solus enim tanti est causa furoris Amor.
Ille feros animos dominae contundere cessat,
quae nimium forma facta superba sua est.
Verum ubi jam caelo stellas aurora fugavit,
et redit exorto lucida sole dies,
non exoratos postes et tristia linquo
limina, meque dolor, et male torquet amor.
Impius Ixion fatali volvitur orbe,
Tantalus in media stat sitibundus aqua ;

immensusque lapis defessum Sisyphon urget,
Nataque mox Tityi viscera tundit avis.
Ni commissa luunt sceleratae crimina vitae,
ipse insons poena non leviore premor.
A te, cum mea sit mens non aliena Dione,
in me tarda tamen, difficilisque manes.
Et sinis, infelix ut lento carpar amore,
nec lacrimas curat dura puella meas.
Quod mihi si facilis fueris votumque secundes,
perscribam laudes inclyta diva tuas.
Aligerumque canam natum et penetrabile telum,
imperioque Jovem succubuisse tuo.
Quid moror ? Ite pedes, dominae parete, superbas
formidate minas, pergite in exilium.
Linquimus hic animam ; divellere corpus ab illa
cogimur, heu vitae fata sinistra meae.
An quisquam miseros et iniquo sidere amantes
vivere, si tamen haec vita putanda, neget ?
Tu, Castelle, mei saltem miserere laboris
atque mihi interea, qua potes, affer opem.
Sed quia laudatae conjuncta superbia formae est,
quodque videre juvat, saepe in amore nocet,
Tu cave formosis penitus te credere, si nos
haec eadem expertos recta monere putas.

## AD IOVEM UT TRISTIA AVERTAT INSOMNIA. REBUS SUIS ADVERSARI QUERITUR.

E2_4

Quid votis adversa meis fortuna minatur ?
Quid superum tristis deferet ira novi ?
Parce, Deum rector, non me duce dura juventus
Titanum regnis intulit arma tuis.
Non ego solis equos mutato limite duxi,
cum timuit rapidas regia vestra faces ;
Non ego, mactato crudeliter hospite, dicor
humanos artus apposuisse tibi.
Auratas vestes, Siculi non more tyranni,
dextera de sanctis traxit imaginibus ;
haud ulli per me contempto numine divum
sacrilega ablata est aurea barba manu ;
nec veluti Xerxes Neptuno vincla minantur,
classibus insolitum cum patefecit iter.
Non per me Elysio rapta est Proserpina regi
nec triplici latrans impius ore canis.
Ergo quid insontem crudelia somnia terrent,
et durae volucres terribilesque ferae ?
Nonne satis fuerat cara quod pulsus ab urbe,
sollicita vigilans tot mala mente feram ?
Nocturnam turbent nisi tristia visa quietem,
quae vel rara solet vel brevis esse mihi.
Dii, cohibere iras, miseris ignoscere, vestrum est ;

in celeres abeant somnia dira notos.
Tu quoque sancte puer, generosi rector amoris.
Saevitiae finem constituisse velis.
Nam tua non umquam contempsi tela Cupido,
nec doleo imperii crescere jura tui ;
nec Veneris nostri indicio cognovit amores
deprensae mira callidus arte Faber.
Nempe ego te quondam felix duce miles habebar,
invidit nostris fors inimica bonis
omnia nunc contra conjurant, nulla facultas
jam mihi vitandi tot fera tela datur.
Quod si supplicium superest, si poena perennis,
haec precor ut vitae sit mihi summa dies.
Protinus expediet tristes compescere luctus,
nam satius miseris est periisse semel.

## AD AMOREM

E2_5

A demens quisquis silvas, latebrosaque rura
credit, Amor telis non adeunda tuis
tu nemus umbrosum, tu ripas fluminis alti
et liquidos fontes, et juga montis adis.
Quae nitidi primum radiantia lumina solis,
quae videt occasum, subjacet ora tibi.
Quasque tenent sedes Boreas et nubilus Auster
indevitatas sustinuere faces.
A quoties gravibus cupiens me solvere curis,
desertos saltus, et loca sola peto.
Sive urbes adeam, nemorum seu devia lustrem,
sive ego caeruleum per mare puppe vehar,
Tu mea furtivo sequeris vestigia passu,
et jacis immiti spicula certa manu.
Parce, Puer, saevas in me torquere sagittas :
ardenti infixum pectore vulnus alo.
Parce, puer, quid me extremum sentire furorem,
cogis ? An haec ullum vindicat ira nefas ?
o quam te decuit potius domuisse puellam,
quae me, quaeque tuum despicit imperium.
Ni frustra ex humero sonat aurea dive pharetra,
ni micat ex oculis irrita flamma tuis,
huc ades et facibus celeres Amor adde sagittas,
noxiaque ultrici pectore fige manu.
Fac tamen insignis pereat ne gloria formae,
nec ducat roseo pallor in ore notam.
Hoc ego non cuperem nec sum me judice tanti
signa mihi satis est, si qua caloris erunt.

## NON NISI A DOMINA SANARI POSSE. AEGRO SIBI NIHIL MEDICOS PRODESSE.

E2_6

Hei mihi nil prodest menti Podalirius aegrae,
non mea sanaret vulnera Phylirides.
Nunc licet Aesculapi redeas, redeasque Machaon,
optatam poterit tradere neuter opem ;
nec rapidos Hebri restingueret unda calores,
nec qui septeno gurgite Nile fluis.
Hinc medicas arcete manus, succosque ministri,
Paeonia non hoc indiget arte malum.
Spes erit, ut vivat, dominae si gratia Tito
redditur ; hanc praeter nulla relicta via est.

## AD ANTONIUM

E2_7

Accipe inauditi formam maris, et mea quali
cymba sit, Antoni, structa magisterio.
Unda hic sunt lacrimae, venti suspiria, remi
vota, error velum, mens male sana, ratis.
Spes temo, curae comites, constantia amoris
est malus, dolor est anchora, navita Amor.
Adde, quod est portus reliquis maribus, mare nostrum
non tantum portu, sed statione caret.

## SOMNIUM

E2_8

Nox erat et varias agitabam pectore curas,
cum tandem oppressit lumina sera quies.
Hic mihi per somnum mista formidine certam
spem dedit, atque animos sumere jussit Amor.
Namque mare ingressus portu prodire videbar,
quique ratem regeret navita nullus erat.
Litore constiterat jaculis armatus et arcu,
et pharetra accinctus versicolore puer,
hujus erat facies, qualis cum luteus ora
exerit Eoo Delius Oceano.
Myrtea cingebant auratos serta capillos,
nullaque in aligero corpore vestis erat.
Ille ducem mihi se, moderatoremque carinae
obtulit, et coeptum tendere jussit iter.
Tum levis insiliit puppim, clavumque magistra
arte regens, Zephyris vela ferenda dedit.
Provehitur pelago cita crebrescentibus auris
Pinus et immensum protinus aequor arat.
Ipsa videbantur vario discurrere lusu
agmina Nereidum, quae freta salsa colunt.
Hic Ephyre, Drymo, Cydippe, Arethusa, Gryopis,
Xanthia, Cymodoce, Lysis et Opis erant ;
pone sequebantur Cyrene, Glaucia, Doris,

Lyriope, Cloto, Psychia, Lemothoe.
Quas inter vix dum posito Galatea timore
narrabat flammas trux Polypheme tuas.
Nomina sed longum est tot commemorare dearum,
totque simul nandi connumerare modos.
Pars alterna jacit pulsato brachia ponto,
et vix parte movet posteriore salum ;
pars maris ima subit piscantibus aemula mergis,
pars nisi quod superest vertice tota latet.
Haec veluti in modum duplicato poplite fertur,
remigat haec pedibus, dum resupina jacet.
At male dissimulans ardorem his mista Deorum
spumiferas ingens turba secabat aquas.
Hic ego Arionium delphinem ludere vidi,
tempora cui pietas vivere longa dedit.
Et varii tremulo nabant in marmore pisces,
Aegaeum quales Ioniumque ferunt.
Hic mihi, quam tutum fragili considere ligno
ostendere brevi ventus, et unda mora.
Namque ea dum miror, pelago provectus aperto,
decrescunt montes, littora diffugiunt.
Post, ubi conspectu tellus summota recessit,
hinc Notus, hinc Boreas, Africus inde ruunt.
Undique convulsum feriunt mare, dumque tuetur
quisquis suas partes diripuere solum.
Involvere diem nubes, caecaeque tenebrae
insurgunt et nox ingruit atra mari.
Intonat horrisono caelum, se murmure miscens
et sua terribilis Juppiter arma ciet.
Ignea discussis erumpit nubibus aethra,
Deucalioneae praecipitantur aquae.
Nunc ferit immenso Neptunus sidera fluctu,
et nunc diductis terra aperitur aquis.
Tollitur in caelum, summoque in gurgite pandet,
Tartara mox praeceps fertur ad ima ratis.
At puer insanis agitari ut fluctibus aequor
terribilesque poli sensit adesse minas,
evolat et celsae residens in vertice rupis,
eventum saevi prospicit inde mali.
Deficit auxilio spoliata carina magistri,
atque procellosis ingemit icta notis.
Dilacerata furens Aquilo fert vela per auras,
et celer eoos concitat Eurus equos.
Correptamque ratem scopulis illidit acutis,
lataque per rimas est via facta salo.
Talia cernenti gelidus tremor ossa pererrat,
sollicitant nostrae numina sancta preces.
Ipsum quin etiam, mea qui modo vela regebat
naufragus imploro, caeruleosque deos.
Nec jam restabat misero spes ulla salutis,
ante oculos species plurima mortis erat ;
cum subito tristes compescuit Aeolus iras,

atque reluctantes traxit in antra notos.
Tum rapidos fratres latebroso carcere clausit,
et rediit pulsa nocte serena dies.
Ipse tridente suo pelagi rex temperat undas,
lapsus caeruleis per maria alta rotis.
Quem medium vasti comitantur Numina ponti
humida rorantes implicat alga comas.
Hic puer ad navem levibus redit impiger alis,
sollicitosque jubet ponere corde metus.
Exoptata procul monstrat mihi littora dextra
atque inquit ridens : haec tua, Tite, fides ?
Exiguam ne adeo spem nostro in numine ponis ?
Quid dubitas ? Quid nunc vult timor iste tibi ?
An paterer, si me fueras duce creditus undis,
dicerer ut mortis causa fuisse tuae ?
Ille ego sum, quem tu nosti Deus auctor amoris,
qui tibi nunc dominam conciliare paro ;
quae nunc difficilem quamvis se praestet amanti,
perfer, erit mitis protinus illa tibi.
Nec te formosae pigeat servire puellae ;
quid non Alcides ipse in amore tulit ?
Praetereo mortale genus, divosque minores ;
perdomui Phoebum magnanimumque Jovem.
Ista tuos volui praedicere somnia casus,
ne curae credas te minus esse mihi.
At tu marmoreis referas pia munera templis
quae cum siderea matre Cupido tenet.
Haec ait. Interea navis petit anxia portum,
somniaque excussit nuntia lucis avis.

## AD POETAM, QUA SE DIGNUM SCRIPSERAT, DIGNUM GLORIA.
## AD BASINIUM PARMENSEM POETAM.

E2_9

Non mea Pegaseos tenuis libare liquores
ausa, nec Aonium Musa subire nemus,
limosas inter potius sed nata paludes
incultis didicit stridere arundinibus ;
cui neque conveniunt citharae, nec laurea serta
gloria quae doctis contigit ingeniis,
illius apta magis Nonacria fistula collo,
populea sat erit cingere fronte comam.
Ille meos summis versus qui laudibus effert,
clarus et ingenio est, clarus et eloquio.
Sed nobis nimium fortasse indulsit, et illud
castelli superat gratia judicium.
Tu quoque, parce leves nugas extollere tantum ;
non petit ingentes parvula Musa sonos.
Illa mihi tristes fastus, animosque puellae
molliat, et teneris oscula det pedibus.
Et placidam exoret felici carmine pacem

rideat alludens, eliciatque jocos.
Te quem bella juvant acri referenda cothurno,
clara poetarum munera ferre decet.
Nam qua me dignum censes, tibi gloria parta est,
et nova Basinii carmina nomen habent.

## AD IANUM PANNONIUM

E2_10 Arbiter Idaeus, quamvis sua praemia nondum
viderat, et qualis Tyndaris ipsa foret ;
dicitur absentis tepuisse cupidine formae,
aequarat victrix quam Cytherea suae.
Ut Menelaeos subit ratis hospita portus,
obviaque est Phrygis facta Lacaena viris,
acer in extremis Paridi calor ossibus haesit,
atque ipsas Helene vincere visa deas.
Sic ego judiciis hominum te Jane, probari
accipiens, coepi nomen amare tuum,
longaque de studiis quoties oblata facultas,
laetabar tecum ducere colloquia.
Sic veluti quoddam fatis praesentibus ortum,
principium inter nos hujus amicitiae.
Vel lecta est Tomyris, nec non Constantia Trottae,
quas immortales, dive poeta, facis.
Vidimus et postquam tua carmina amore relicto
grande quibus suades aggrediamur opus.
In te crevit amor meus et nova gloria famam
transgressa est dextro numine parta tibi.
Tanta ibi dicendi gravitas, facundia tanta est,
reddar ut incertus quid magis ipse probem ;
et tibi Phoebus adest elego seu carmine laudas,
sive canis paribus grandia facta modis.
O dilecta Deis, o felicissima tellus,
in qua tu fausto sidere progenitus.
Nos quoque felices, ad quorum limina sacros
Pieridum cantus ex Helicone refers.
Tu tamen in primis nova concipe gaudia, nostri
temporis egregium, clare Guarine, decus ;
nam liquor ille tuo manans de flumine, latum
per terras omnes, jam sibi quaerit iter.
Optima sic fructus generosos educat arbor,
sic radios spargit Cynthius ipse suos.

## QUERELA UXORIS OCCISO PRINCIPE.
## HELISIAE PUELLAE ILLUSTRIS CONQUESTIO FUNERE ODRISII DUCIS BRITTANIAE CONIUGIS SUI A POPULARIBUS CAESI.

E2_11 Heu nimium viridi conjux erepte juventa,

heu vitae quondam spesque salusque meae !
Hancne tuam faciem video ? Pectusque decorum ?
Haec tua, quae geminum lumina sidus erant ?
Vix laceros vultus, et sparsos sanguine crines
agnosco et diris membra cruenta modis.
Occidis heu manibus, conjux miserande, tuorum
vulneraque in tenero corpore saeva patent.
Unde mihi speranda salus, regnique fidele
praesidium fuerat ; prodiit inde nefas.
Deneget iratus populo sua lumina Titan,
impiaque aversis moenia damnet equis.
Cur me fata sinunt tanto superesse dolori ?
Cur tua summe Deum dextera cessat iners ?
Nec ducis immerito maculatos sanguine cives
horrida Phlegraei fulminis ira petit ?
Non genitor, non forma tibi, non profuit aetas,
junctaque cum multa brachia ferre prece.
Nil hominum juvat, atque fidem implorasse Deorum,
impia sed caeco est acta furore manus.
Meme utinam leto comitem tibi dextra dedisset,
quae pectus duro perculit ense tuum,
ne quam junxit Hymen, divelleret Atropos a te,
sed conjuncta forent funera nostra tuis.
Nunc saevos inter gemitus, lacrimasque relinquor,
nec sine te grata est vita futura mihi.
Nunc mea ferali mutantur serta cupresso,
aspicioque tuos vix bene nupta rogos.
Quam modo festus hymen taedam gestavit ad aras,
illa sepulcrales ponitur ante focos.
Felix natorum Niobe post fata fuisti,
eripuit sensum saxea forma malis.
Felix, quae dominam Cyane dum luget ademptam
Sicelidem subito fonte rigavit humum.
Felices etiam viridi quae cortice clausae,
fletibus Heliades imposuere modum.
Ipsa dolore gravi nimium confixa reservor,
fortunamque timent ista subire meam.
Et mihi, vir, tecum moriendi jura negantur,
Parcaque non gratam prorogat usque diem.
Vos precor, o superi, si quid pietatis et aequi est,
si flectunt ullae numina vestra preces,
ante oculos vestros inter penetralia caesi
principis, injusta fraude piate necem.
Et scelerum ultores merito punite nocentes
supplicio, et factis praemia digna date.
At tibi, per facinus, vitam cui funere acerbo
abstulit ante annos impia dextra tuos,
Elysii placidas liceat cognoscere sedes,
et memor Elysiae, care marite, vale.

DE RACCINI FORMOSISSIMI PUERI MISERANDO INTERITU.
QUANTAM FELICITATEM RACCINUS IN CASU SUO CONSECUTUS FUERIT CLARISSIMO IANI PANNONII CARMINE CELEBRATUS.

E2_12

Quisquis eras, certe felix Raccine, fuisti
   doctiloquo vates quem sacer ore canit.
Scilicet Arctoae decus admirabile gentis,
   aeternum Janus dat tibi nomen herus.
Exprimit ille tuas praeclaro carmine laudes,
   et faciem et mores ingeniumque probat.
Te quanti faceret, miris affectibus ardens,
   indicat ipse pio captus amore tui.
Nec secus allato casus rumore sinistri
   concidit attonitus mente abeunte pater,
quam solet indigno morientis funere nati
   collabi amissis sensibus orba parens.
Ut dolor exsuperans animum, vocemque reduxit
   multa gemens homines invocat atque Deos.
Proque tua, dilecte Puer, non parva salute
   illum cura tenet : praecipit, urget, agit.
Pro te vota facit : celeres properare ministros,
   ac de te subito certa referre jubet.
Spemque metumque inter dubius sic pendet, ut aegrae
   occurrat menti nil nisi triste tamen.
Eheu nulla valet fugientem sistere vitam
   Henrici admotis ars medicaminibus.
Namque ferox quadrupes, stimulis agitatus et ira
   concitus, huc illuc dum sine more ruit,
excuteris dorso loris Raccine relictis,
   pronus et ad duram praecipitaris humum.
Heu crudele nefas, fracto sors impia collo
   protinus exstinxit te miserande puer.
Talis ut et perhibent anima fugiente per auras,
   qualis purpureus flos ubi languet eras.
Vidit equum procul excusso rectore furentem
   corripere incerto tramite Janus iter.
Vidit, et hinc sumpsit miseri praesagia leti
   laevaque funereum questa volavit avis.
Anxius huc vates dum lumina volvit et illuc,
   dum cupit, ac metuit damna videre sua,
ecce simul junctis manibus per mutua magno
   cum gemitu famuli corpus inane ferunt.
Nervorum compage labans caput ille soluta,
   sustinet, et lacrimis os puerile rigat.
Neu raptentur humo per candida colla fluentes,
   in nodum longas colligit ille comas.
Hic dextram, ille tenet levam, hic pendentia crura,
   labentem hic tunicam, sublevat ille pedes.
Sanguine adhuc tepido, roseoque manente colore,
   assueti facies signa decoris habet.
Janus ut hac visa, sensus amisit, ut illi
   maxima cum puero vota fuere mori.

Quos gemitus et quas lacrimas, et qualia verba
   fudit, et in Parcas quae maledicta dedit ?
Multa minans graviter Raccine irascitur illis,
   tristiaque objectat facta, tuamque necem.
Et cupit ultorem tanti se criminis esse
   si modo fas, canas et lacerare comas.
Hinc queritur tecum nequicquam saepius acres
   quod formidandos praemonuisset equos.
Atque exempla refert quibus haec animalia monstrat,
   exitium multis antetulisse viris
non audituro ; sed dum tibi talia narrat,
   ipse alias sedes jam levis umbra tenes.
Si periturus eras, tamen hoc solamen habebis,
   o Puer aethereas digne habitare domos.
Quod non Narcissum magis aut Phryga, non Hyacinthum
   aut magis Herculeum fama loquetur Hylan.

## AD PISANUM PICTOREM STATUARIUMQUE, ANTIQUIS COMPARANDUM.

E2_13

Quis Pisane tuum merito celebrabit honore
   ingenium praestans artificesque manus ?
Nam neque par Zeuxis, nec par tibi magnus Apelles
   sive velis hominem pingere sive feram.
Quid volucres vivas, aut quid labentia narrem
   flumina, cumque suis aequora littoribus ?
Illic et videor fluctus audire sonantes
   turbaque caeruleam squammea findit aquam.
Perspicuos molli circumdas margine fontes,
   mistaque odoratis floribus herba viret.
Per nemora et saltus nymphae venantur apertos
   retiaque et pharetras et sua tela gerunt.
Parte alia capreas lustris excire videntur,
   et fera latrantes rostra movere canes.
Illic exitio leporis celer imminet imber,
   hic fremit insultans, frenaque mandit equus.
Nare lacu ranas, silvis errare leones,
   ima valle truces ire videmus apros.
Se profert antro catulis comitantibus ursa,
   Martius ad plenum tendit ovile lupus.
Quis non miretur gestusque et sancta virorum
   corpora ? Quae penitus vivere nemo neget ?
Quisve Jovis faciem pictam non pronus adoret,
   effigiem veri numinis esse ratus ?
Denique quicquid agis, naturae jura potentis
   aequas divini viribus ingenii.
Nec solum miro pingendi excellis honore,
   nec titulos virtus haec dedit una tibi.
Sed Polycleteas artes ac Mentora vincis ;
   cedit Lysippus, Phidiacusque labor.
Haec propter toto partum tibi nomen in orbe,

te praesens aetas, posteritasque canet.
ast opere insigni nostros effingere vultus
quoc cupis, haud parva est gratia habenda tibi.
Si longos aliter mea non exibit in annos,
at saltem vivet munere fama tuo.

## AD ARIADNAM PUELLAM FORMOSISSIMAM

E2_14
Ut prior est aetas faciem mirata Lacaenae,
sic formam laudant nunc Ariadna tuam.
Tyndaris hoc uno fertur superasse, quod illa
difficilis blandis nesciit esse procis.
Tu pietate carens et fastus plena superbi
formae corrumpis maxima dona tuae ;
nec magis Euryali gemitu lacrymisque moveris
quam prece turbati flectitur ira soli.
Quid faceres si Nestoreos hic vinceret annos ?
Et tegeret crispas horrida barba genas ?
Exemplo tibi sit pharetrati mater Amoris,
dignata est puero jungere Diva latus.
Illo etiam fertur lacrimas fudisse perempto
et solitus roseo fugit ab ore decor.
Abstulit Endymion tenera Latoida forma,
dum patrio niveas monte reducit oves.
Ipsa licet dea sit, noctisque aurora tenebras
pellat, in amplexum non pudet ire senis ;
invidisse deos perhibent, cum mollia cano
oscula Tithono culta puella daret.
Tu juvenem, quo non formosior alter in urbe,
spernis, et insano cogis amore mori.
Si sapis, ipsa tuae fructum decerpe juventae,
respice jam properans terga senecta premit.
Quod si nec facies qualem Narcissus habebat
nec movet antiquo sanguine clara domus,
te saltem moveant generosae Palladis artes,
queis inter priscos hic numerandus erit.
Huic tu si faveas, hunc si digneris amare,
cantabit laudes, dia puella, tuas ;
atque immortalis famae tibi quaeret honorem,
et tua post obitum forma perennis erit.

## AD AMICUM DE OBTRECTATORE

E2_15
Ille igitur Cambi de me mala verba loquetur ?
Et laesum toties ora aperire vetas ?
Taurus in adversum cornu ruit obvius hostem,
atque lacessitus dente minatur aper.
Molle pecus, quacumque potest defendere sese,

certat, et accipitri parva repugnat avis.
Ille mihi verbis petulantibus insultarit ?
Et lapis, ut visa Gorgone, mutus ero ?
Non ego sum justa patiens ac segnis in ira,
urentes flammas et meus ignis habet.
Criminibus fictis infamem quisquis amante
reddit, sacrilegos inter habendus erit.
Laesus Amor bello genitas non segniter ultus
impia Lethaea colla fatigat aqua.
Albus erat quondam volucris Phoebeia corvus,
nunc importunae praemia vocis habet.
Tu quoque ne dubita, solves mihi perfide poenas
et quod mentita est invida lingua, luet.
Stulte, quid insanis ? Male cautas novimus artes
et tua non ulla retia fraude latent.
Rumperis atque meo frustra insidiaris amori,
nec tibi successus improba vota dabunt.

## DE AMORE DORMIENTE SUB ARBORE

E2_16

Materna caperet dum forte sub arbore somnum
armaque securus deposuisset amor,
incidit in puerum, neque amico lumine vidit,
antiquum repetens Cynthia mente odium.
Mox conata faces exstinguere, frangere tela,
fatales perhibent id vetuisse deas.
Sopito certant innectere vincula Nymphae,
ipsa leves pennas vellere diva parat.
Excutitur somno puer, et miserabile luget ;
audit et ad vocem fert Cytherea gradum.
Mars quoque in auxilium accelerat, cum Pallade Phoebus
Dictynne se addit, nec bona verba sonant.
Quod nisi funestam properasset tollere litem
Juppiter, exempli res erat illa mali.
Solvite ait puerum, funestaque ponite Divi
jurgia, fungatur munere quisque suo.

## DE PADO CONCRETO FRIGORIBUS.
## AD LEONELLUM DE PADI FLUMINIS ARIDITATE ET QUOD DURISSIMA GLACIE SIT ASTRICTUS.

E2_17

Qui Phaethonteos exstinxit plurimus ignes,
pene gelu absumptis nunc Padus aret aquis ;
atque repentinos Borealia frigora pontes
struxere, et sicco pervia lympha pedi est ;
quaque rates vanis oneratae mercibus ibant,
nunc plaustris junctos cernimus ire boves.
Ad nova concurrit spectacula vulgus et audax
turba per insuetum fluminis errat iter.

Mira quidem sunt haec ; sed te mirabile Princeps
   optime nil aetas protulit ulla magis.

### DE MUSIS A LEONELLO PRINCIPE ACCEPTIS FERRARIAE

E2_18

Armorum strepitu Latiis fugiebat ab oris
   territa cum sacro Calliopaea choro.
Excipit hanc divus placida Leonellus in urbe :
   officiis homines hic ligat atque deos.

### AD MUSAM SUAM, UT INTREPIDA PETAT BENIGNISSIMUM PRINCIPEM. AD LIBELLUM SUUM QUEM EIDEM LEGENDUM MISERAT.

E2_19

Ne vereare sacros mea Musa subire penates
   Caesaris, ingeniis ille favere solet.
Quin etiam placidis animos tibi vocibus addet,
   ad se si trepido viderit ire gradu.
Nec leget invitus duro tua carmina vultu :
   tempora tu tantum non aliena lege.
O nimium tali Ferraria principe felix ;
   o princeps hominum gloria, cura deum.

## *LIBER TERTIUS*

### LAUDAT FERRARIAM AB EXILIO REDIENS, CUM DIU IUSSU AMICAE EXULAVISSET. DE CONCILIATIONE ANTHIAE ET DE LAUDIBUS URBIS FERRARIAE.

E3_1

Tandem Flaminiae nemorosa reliquimus arva,
   jam datur optatam cernere Ferrariam.
Hic mihi blanda Venus primum inspiravit amorem,
   raptaque libertas, servitiumque datum.
Hic ego in exilium domina damnante profectus
   quas peperit poenas improba lingua lui.
Omnia nunc tandem in melius praesentia divum
   rettulit et facta proelia pace fugat.
Spargite odoratos instructa per atria flores ;
   debitaque antiquo sacra parate lari.

Quisquis adest votis faveat, vicinia rixas
ponat et exsultent compita laetitia.
ipse Dionea redimitus tempora myrto
imponam tepidis grana Sabaea focis.
Ferte pedem placata Venus mitisque Cupido,
nec vos fortunae spernite dona meae.
Vobis magna satis superi sunt munera parva
si modo mens nigra candida labe parat.
Vos patriae Turres, patrii salvete Penates,
urbs faustis salve condita sideribus.
Tu superum templis, domibusque ornata superbis,
finitimis effers invidiosa caput.
Dives agri aque auri Leonello principe flores,
et populi turbam vix capis ipsa tui.
Jam tibi Pierios Phoebus largitur honores ;
vivida nec desunt artibus ingenia.
Te fecunda Ceres immensis frugibus implet,
nec tibi Lenaeus dulcia musta negat.
Laeta saginati depascunt prata juvenci ;
lanigerae carpunt fertile gramen oves.
Te pater Eridanus sinuoso flumine cingit,
et vetat hostiles pertimuisse minas.
Martia securi contemnunt classica cives,
nullaque sunt nisi quae proelia fecit Amor.
O felix nimium tellus nimiumque beata,
tu modo caelicolas religiosa cole.
Hic tibi perpetuum ver floreat, ipsaque nullo
exercente sinum gargara vincat humus.
Non lupus insidias stabulis meditetur apertis,
et cum rore cadant nectar et ambrosia.
Tum gens secura exactis feliciter annis,
Elysias sedes et loca sancta petat.

## AD PARTHENOPOEAM

E3_2 Quid prodest varium vestis mutare colorem ?
Quid juvat in nitidis indica gemma comis ?
Perfidus heu nostra Siculus discessit ab Urbe,
abstulit et sensus Parthenopaea tuos.
Difficile est cultu et verbis celare dolorem :
frons aperit quicquid dissimulare cupis.
Sed ferus ille fuit, tantos qui rupit amores,
nec dominae miseris fletibus ingemuit.
Tu tamen exemplo levibus potes esse puellis,
quaelibet ut fidos discat amare viros.

## EPITALAMIUM PRO TADEO MANFREDO IMOLAE DOMINO ET MARSOBILLA PIA VIRGINE PRAECLARISSIMA

E3_3

Discite nunc alios elegi componere gressus
atque Erato insolitum dextera monstret iter.
Carminibus neque enim canitur Venus improba nostris ;
da veniam : majus Cypria numen adest.
Conjugii concessa cano sociataque jura,
quae pater instituit, maximus ille deum.
Scilicet ut toto soboles nova cresceret orbe,
legitimi sancto foedere nata thori.
Atque ut concubitus damnaret lege pudendos,
pectoraque ut castos sollicitaret amor.
Hic mihi nunc dicendus adest, taedasque jugalis
festus hymen placida ventilat ecce manu.
Ille simul juvenesque ciet tenerasque puellas,
et geniale jubet concelebrare sacrum.
Hoc duce Manfredo Pia Marsobilla tyranno
connubio faustis jungitur ominibus.
Spargite odoratos instructa per atria flores,
et nitidos postes multa corona tegat.
Jamque novo dignas laudes cantare marito,
cujus in egregio nascitur ore parens.
Te genus antiquum, majorumque inclita facta,
te decorat genitor laudibus ipse suis.
Qui, seu pacem ageret, seu tristia bella moveret,
Itala gens animos consiliumque probat.
Nec minus imperio species tua digna paterno,
jam veteres virtus exsuperabit avos.
Est aetas in te viridis, prudentia cana
ingeniisque faves justitiamque foves.
Nemo ducem sumptis non hunc laudaverit armis,
cum bellatorem fervidus urget equum ;
sive gravis dextra protenditur hasta reducta,
sive hostem stricto comminus ense petit.
Haud illi magno praestet cum Castore Pollux,
fortis uterque licet natus uterque Jove.
O felix nymphe tali sociata marito,
an quisquam curae te neget esse deis ?
Non tibi nobilitas utraque in origine desit,
sive velis matrem quaerere sive patrem.
Hinc domus Estensis regum clarissima proles,
teque pium illustrem reddidit inde genus.
Corporis an dotes, animi referemus honestas ?
Atque pudicitiae munera magna tuae ?
Moribus insignis gestu et sermone venusto
matronale decus dia puella tenes.
Claudia cessisset Tyberi quam vecta Cybelles
judicio castam testificata suo est.
Ah quam virgineus niveo color enitet ore
purpureis veluti lilia mixta rosis,
talis Maenalios exercet Delia saltus
talis erat Siculae filia rapta deae.

Tu decus ipsa tuis, tu gloria summa parentum ;
nec dedignata est Pallas habere parem.
Hanc vir magne tibi ; teque illi numina servent ;
conjuge tu tanta dignus et illa viro.
Illustres annisque pares florentibus ambo ;
discite quae verus gaudia praebet amor.
Aetatisque novae jucundos carpite fructus ;
dulcis et in vestro gratia sit thalamo.
Et patribus claris claros generate nepotes,
qui teneant forti regia sceptra manu ;
qui patriam civesque suos tutentur et armis
exoptent parta ponere pace modum.
I Taddee bonis avibus fatisque secundis
certaque conjugii tradere signa velis.
Gemma puellarem digitum premat orbe nitenti
aspice quam votis annuat illa tuis.
Quid rubor ora notat ? Quid terrae lumina figis ?
Tene mei laedunt virgo pudica joci ?
Desistam magnumque Jovem superosque precabo,
ut fortunatus vivat uterque diu.
At vos interea juvenes celebrate choreas,
festaque jam laetis vocibus aula sonet.

## AD ISOTTAM. SIGISMUNDUS PANDULPHUS MALATESTA ISOTTAE ARIMINENSI.

E3_4 Hanc Sigismundi tibi fert Isotta salutem
nomine sollicita littera facta manu.
Scribere difficile est quam me nova cura fatiget,
quam mihi mors fuerit patris acerba tui.
Ejus enim nobis nimium jactura dolenda est
qui praestans factis ingenioque fuit.
Et quamcumque illi patriam fortuna dedisset,
illam ortu potuit nobilitare suo.
Sed quamvis nostrae summum decus adderet urbi,
clarus et innumeris esset imaginibus,
virtutesque viri quamvis ego semper amarim,
te propter nobis carior ipse fuit.
Nec minus hunc colui, quam dux trojanus Achatem,
quam rector Graiae Nestora militiae.
Sed fortuna diu gressu non pergit eodem,
spesque hominum vanas insidiosa facit.
Invidisse mihi crudelia fata videntur,
injecitque feras impia Parca manus.
Ille jacet cujus dulci sermone fruebar,
quo potuit curas saepe levare meas.
Cujus recta fides, ingens prudentia, fidum
consilium, gravitas digna Catone fuit.
Ast ego dilecti casu cum vexer amici,
me cruciat luctus, cara puella, tuus.
Et tristes lacrimae, et saevi sine fine dolores,

dilacerant miseris pectora nostra modis.
At mihi, sive libet castris educere turmas,
signaque in adversos Martia ferre duces,
sive per hostiles latum diffundere campos
agmen et in victo castra locare solo,
seu placet obsessis invadere moenibus urbes,
oppida seu victor capta subire parem,
protinus ante oculos tua se se ostendit imago
flebilis et curas excitat illa meas.
Nec sic erepta Aeacides Briseide, nec sic
Orpheus amissa conjuge maestus erat.
Quod si nostra tibi virtus et gloria cordi est,
desine nos fletu sollicitare tuo.
Ecce meo afficitur maerore exercitus omnis
proque suo nimis est anxia turba Duce.
Et pariter fremit, atque aliquid putat esse sinistri ;
quid tamen, ignorat, veraque causa latet.
Saepe mihi comites : quid dux fortissime, dicunt,
tristis es ? Ac vultus quid petit iste tibi ?
Si bene fortunamque tuam, praeclaraque facta
novimus, et laudis tot monimenta tuae,
te potius gaudere decet, quem magna tuentur
Numina, cui Mavors, Juno, Minerva favent.
Talibus, atque aliis conantur demere curas,
conveniens morbo nec medicina meo est.
Protinus una potes tantum lenire dolorem,
spes mea, si gemitus comprimis ipsa tuos.
Manibus officium pietas immensa paternis
praestitit ; iste modum debet habere dolor.
Aspice post nimbos nitidum quam saepe reducat
vectus Lucifero Cynthius axe diem.
Aequora placantur, quae nunc Aquilone tumebant,
et cedit fratri roscida luna suo.
At pluvialis hiems Zephyro spirante recedit,
omniaque alternas constat habere vices.
Hanc natura potens stabili tulit ordine legem,
desinat ut quicquid coeperit esse semel.
Metas cuique suas dat inexorabile fatum,
et nil morte homini certius esse potest.
Illa malis requiem, finemque laboribus affert,
quorum si spectes agmina longa, ruunt.
Viderat hoc celeber Samiae telluris alumnus,
hoc et magnanimus sensit Anaxagoras.
Hoc Xenophon sensit, quem non revocavit ab aris
filius exstinctus, nec doluisse ferunt.
Ergo quid incassum prodest tot fundere questus ?
Nil casus nobis attulit ille novi.
Natus enim mortalis erat, cui tempore parvo,
et si nunc maneat, mors obeunda fuit.
Defuit haud quicquam dum vivere fata dederunt
quo felix dici debeat ille minus.
Caetera si desint, fortunatissimus esset,

cum tu illi talis filia contigeris.
Adde quod ad superos aditum mens aequa, fidesque
et virtus praestans, religioque dedit.
Non igitur grati nec amantis signa videntur,
illius tantis ingemuisse bonis.
Et si quis remanet post fata novissima sensus,
aegre fert lacrimas umbra paterna tuas.
Quod te per cineres animamque parentis, et illum,
qui nos junxit Amor, per Veneremque rogo,
per quaecumque tibi parvae dedit oscula mater,
per spem fraternam, per faciemque tuam,
per Sigismondi, (si qua est tibi gratia) nomen,
te praeter cui non ulla placere potest.
Nil profuturas, oro, compesce querelas,
queis tua concutitur flore juventa suo.
Desine sidereos lacrimis corrumpere ocellos,
et rigido roseas ungue notare genas.
Parce precor formae qualem praelata duabus
valle sub Idaea, mater Amoris habet.
Si tua cara minus, nostrae succurre saluti,
quae nisi desieris, nulla futura brevi est.
Si pater occubuit leto maestamque reliquit,
affines adsunt, frater, opesque tibi.
His quoque me, cui non obscurum nomen in orbe
clara dedit virtus, connumerare velis.
Quem crines flavi rapiunt, oculique loquaces,
quique caret dura rusticitate pudor.
Qui tibi frater ero, genitorque et fidus amator,
dum mea torquebit fila secunda Soror.
Ipse loqui coram potius, quam scribere vellem,
otia si qua mihi Martia bella darent.
Est aliquid veras voces audire precantis,
exorant lacrimae quod fera corda negent.
Auxilium tulit Aesonidae Medea roganti,
ante aras flentem viderat illa virum.
Supplicibus praesens Theseus Minoida verbis
flexit, ut implicitam solveret arte viam.
Spem tamen hanc, et amor tuus in me, Isotta, fidesque
dant, ut adesse putes, cum mea verba legis.
Et simulac nimio pectus moerore levaris,
augebit vires firmior illa suas.
Quod, si vera monent, nec amantem insomnia fallunt
quae sopor obscura candida nocte tulit,
te fore quamprimum laetam, facieque serena
fatidico cecinit Delphicus ore Deus.
Phoebe fave et votis bonus annue, nuntia lucis
ante tuos currus, sic Dea semper eat.
Aetheriumque tibi sternens iter, increpet atrae
humentes umbras noctis, et astra fuget.
Sic formosa tibi Eunomie, coetusque sororum
pareat, et vigili serviat officio.
Sic cum permenso laberis ab aethere cursu

Doris Atlantes laeta receptet aquis.
Sic leviter Phaethonta tegat lapis, et tua Delos
perpetuo maneat non agitata notis.
Semper et intonsos cingat tibi laurea crines,
et semper tibi sint carmina, sintque lyrae.
Longa sed afflictam ne lasset epistola mentem,
cogimus invitam sistere Diva manum.
Illa quidem nollet, mihique adversata repugnat
sponte operam tribuens officiosa suam.
Et veluti tecum praesens nunc ipsa loquatur,
gaudet, et haec scriptis addere pauca monet.
Ut memor usque mei nullis exercita curis
vivas, hoc poterit gratius esse nihil.
Sic ego securus vivam, sic me tibi custos
insignem multa laude remittet Amor.

## AD LUCIAM BARZIAM

E3_5 Immortale decus Perusinae Barzia gentis,
quam bene conveniens Lucia nomen habes !
Lucet enim late morum nitor ille tuorum,
rara nec ingenuo forma pudore caret ;
inque oculis Charites habitant et grata venustas
quos super et circum blandus oberrat Amor.
Inde faces ac tela jacit, furtimque latentes
tendit ibi laqueos, multiplicesque plagas.
Cernere nec cuiquam fas est ardentia tuto
lumina, tantum illic ars geniusque valent.
At tu, cujus abit numquam de fronte Cupido,
nulla Cupidinei signa caloris habes.
Nec facit hoc, neque enim rudis et tam nescia rerum est
mentis inurbanae rustica simplicitas.
Verum innata tibi constantia, qua nihil optas
aut humile aut quod te dedecuisse putes.
Da veniam tibi si nimium temerarius esse
audacterque aliquid dicere visus ero.
Me nisi certus amor formosae ferre puellae
vincula jussisset, quae mihi culta diu est,
nil non tentarem, studioque anniterer omni
ne nostram abnueres noscere velle fidem.
Forsan et assequerer, ne saltem hoc dicere nolles :
hic amat, et certe est dignus amore meo.

## AD FRANCISCUM PHILELPHUM

E3_6 Tot, Francisce, mihi tribuunt tua carmina laudes,
sic mihi praesentes scribis adesse Deos,
ut cuiquam si tot pars rerum obvenerit ulla,

felicem hunc merito quilibet esse putet.
His me aliquid studiis operae impendisse fatebor
Pieriique sacrum nomen amasse chori.
Sed non haec propter sic efferor ut mihi primum,
esse locum inter vos, docte Philelphe, rear.
Vestra sequi satis est vestigia, dummodo dicar
non dominae penitus displicuisse meae.
At mihi si quicquam princeps indulget ut ipse
asseris, et si quid gratia nostra valet,
forsitan in nobis aliquid se judice dignum
vel saltem quod non improbet, esse putat.
Caetera si desint, studium perspexit et hujus
pectoris egregiam non sine amore fidem.
Borsius in primis recti optimus auctor et aequi est
arbiter eximius, praesidiumque bonis ;
quem mirae exemplum caelo virtutis ab alto
demissum his terris contribuere Dei.
Hunc apud, ulla mihi si spes non vana favoris,
efficiam, votis ut potiare tuis.

## AD BACCHUM

E3_7
Salve magne pater divum suavissime salve
salve Bacche, meis saepe canende modis.
Numine nostra tuo dignatus tecta subire
incedimus ; laeta fronte benignus ades.
Qui modo sollicitis fueramus mentibus, ecce
adventu exhilaras nos pater alme tuo.
Tu laetas hominum mentes, convivia laeta
efficis ac sine te gaudia cuncta silent.

## AD LUDOVICUM SACRATUM

E3_8
Nota mihi Pholoe Laurentis proxima templo ;
vendit in arguto roscida mala foro.
Callida, secretique tenax, fideique probatae
et quamcumque velis ausa subire domum.
Cujus victa foret constans Lucretia verbis,
fractaque mens rigidi cederet Hippolyti.
Cum volui, totam subito volat illa per urbem,
ingenti pretio saepius empta mihi.
Et modo fert violas, modo fert serpilla puellis
et modo arundineas officiosa colos.
Matre solet coram semper sermone pudico
nil nisi de sancta relligione loqui :
cum vacuas omnique videt custode carentes
utitur astuti viribus ingenii.
Nec sic fallaci pisces captantur ab hamo,

nec sic Nyctimene decipiuntur aves ;
ut quocumque velit dubias impellere mentes
novit et in proprium vindicat arbitrium.
Haec Ludovice tuo succurret idonea voto,
nam nihil est precibus quod neget ipsa meis.

## AD LUDOVICUM SACRATUM

E3_9 Saepe aditum dedit ad Dominam mihi adultera clavis,
adventum exspectat dum, Ludovice, meum.
Me conata semel simulato ludere somno est,
nec bene successit, lusa sed arte pari est.
Vix lectum attigeram, detracto nudor amictu,
et quod amor suadet munus obire paro.
Oscula do frustra ; frustra illam amplector, et ad rem
spectante haud uti sedulitate juvat.
Perstat enim coepto veluti devicta sopore,
atque silet, quamquam mille petita modis.
At me non latuit dolus, et ceu rumpere somnum.
Non ausum, jacui mutus inersque toro.
Subrisit tandem et niveis mea colla lacertis
implicuit : lectus caetera noxque sciunt.

## IN INVIDUM

E3_10 Nil ego te metuo quamvis mihi multa mineris,
invide, quid frustra fortia verba jacis ?
Haec ubi nota minus tua sic socordia perfer.
Nos, sine concordes, qua sumus, ire via.
Tu ne illam demens levibus corrumpere donis
deque meo speras eripuisse sinu ?
Jam tibi nunc faciam rumpantur ut ilia tristi
invidia, si me provehet ira magis.
Et faciam, mea cum spectaris gaudia, dicas :
Tiresiae gravior, quam mea poena mali !

## AD LUDOVICUM CARRUM MEDICUM SACRATUM

E3_11 Jam deformis hiems Rhipaeis venit ab antris,
squallida cui saevo frigore membra rigent
cujus et albentes glacies innexa capillos
asperat, et gelidis imbribus ora fluunt.
Jam spolia arentes posuere virentia silvae,
jam tegitur multa candida terra nive.
Floribus amissis lugent sua rura puellae,
nec solitus juvenum mentibus ardor inest.

Nunc sine amore ferae vacuis conduntur in antris,
mutaque neglecto carmine torpet avis.
Sed licet alterna tempus vice singula mutet,
non animi fervor languit ille mei ;
nec minor antiquo versatur in ossibus ignis,
sed validus vires usque resumit amor.
At velut accensis acies vulcania silvis
spargitur, et rapiunt proxima quaeque faces.
Non aliter venis quondam Ludovice receptus
haesit et in capta mente triumphat amor.
Magna tamen rerum mutatio facta quod ante
semper in assiduis maestus eram lacrimis.
Quin etiam curis torquebar tristibus amens,
cum mihi despecto crebra repulsa data est.
Nunc postquam facilis toties reseratur amanti
janua, mutato sidere luce fruor ;
et fortunatis felicior omnibus unus,
excelsae teneo culmina summa rotae.
Nec levis est placidae sortis meminisse voluptas,
quam tamen haud veram saepius esse puto.
Atque haec falsa reor mihi gaudia fingere somnos
et videor votis credulus esse meis.
Ast, ubi mens curis agitata quiescere coepit,
ante meos oculos omnia certa patent.
Nam mecum repeto promissa occurrere qualis
nocte solet pavido clam taciturna gradu.
Et memini, quam multa roget, num forte morantem
praeteriens aliquis viderit ante fores.
An veniam solus, comitum num turba sequatur,
multaque dehinc subeunt, quae meminisse juvat.
Et mecum referens, illic consedimus, inquam,
hos habuit cultus, is color oris erat.
Oscula sic sumpsi, collo sic brachia junxi,
sic manus in niveo nostra morata sinu.
Sic luctata mihi, sic dulces improba rixas
inseruit, victa sic dedit illa latus.
Mutua quid memorem, sine fine, sine ordine verba
et quaecumque meus plurima novit amor ?
Nulla quidem haec poterit delere oblivio, quamvis
exuperem Pylii secula longa ducis ;
et nisi mutarit coeptum fortuna tenorem,
ulterius nihil est quod mea vota petant.
Si fortasse aliquid nobis optare necesse est,
non Asiae cupiam divitis imperium ;
cum possim nigro vitam livore carentem
contentus paucis ducere jugeribus.
Hortulus angustique lares, tenuisque supellex
exiguumve pecus, maxima gaza mihi.
Quis Venere adversa pretioso gaudeat ostro ?
Copia tum curas demere nulla valet.
Nil ebur, aut gemmae, nil auri pondera prosunt,
nil juvat artifici structa labore domus.

Tunc onerosa toro jactantur pallia, tum nox
longior, ingratus Liber, amara Ceres.
Nec sic quae retinet demersa nomen ab Hella,
spumea collisis aestuat unda fretis,
ut gravibus miseri stimulis agitantur amantes,
tristia si durus corda fatiget amor.
Non tamen e facili nobis victoria parta est,
quippe ego multa meo dura in amore tuli.
A quoties dominam cum devia rura tenerent,
aestibus in mediis rura petita mihi.
Non me nocturnis vetuit timor ille tenebris,
nec juvenum audaces ad fera tela manus.
Et potui totas hiberno tempore noctes
fixus ad ingratas pervigilare fores.
Nec mihi sum questus Boream nocuisse nec imbrem,
cum gravis urgeret frigida membra dolor.
Quid tibi nunc referam, quoties irata fenestras
clauserit, haud toto mense videnda mihi ?
Aut quid in immeritum magnis conjecta querelis
crimina, cum possem justius ipse queri ?
Omnia perpessus, vix quarto admittor in anno,
ardoris cum sit fabula trita mei.
Et digito demonstrer amans dicantque per urbem,
hunc regit ad nutus una Puella suos.
Forsitan haec aliquis levia, et spernenda putarit,
utendumque aliter duxerit ingenio ;
cum fieri clarum liceat belloque togaque
et sit honoratae laudis aperta via ;
scribendi modo cum digna argumenta pararit,
magnanimi virtus officiosa Ducis.
Nam tua quem lateat quae sit clementia Borsi ?
Gratia facundi quanta sit eloquii ?
Quantum animo, quantum praestas pietate vel armis,
tantum justitia consilioque vales.
Et nisi cum vindex Mavors accendit in hostem
otia tranquillae dulcia pacis amas.
Hos igitur merito populus tibi mandat honores
invitoque libens obtulit imperium.
Hisque opibus dignum nostram cum venit ad urbem
sensit, et hinc Caesar grandia dona tulit.
Insignesque tibi titulos quae gloria raro
principibus Latiis contigit, ante dedit,
salve cura Jovis, patriae rectorque paterque,
gloria Atestinae praesidiumque Domus.
Salve laeta Dies, qua nulla beatior, et qua
non visa est oculis gratior ulla meis.
Undique cum populi resonaret plausibus aether,
et meus in niveo Borsius iret equo,
non fora, non homines capiebant tecta viaeque :
tantus visendi principis ardor erat.
Hoc decus, haec magnae sunt praemia laudis et in se
non dubium veri pignus amoris habent.

Quae Ludovice vides clarum sibi poscere vatem,
non cui sit venae pauperis ingenium.
Plura etiam superant, quae cum videamque probemque
non minus assueta me juvat ire via.
Non facile ex ima tellure revellitur arbos,
quae bene radices egerit alta suas.
Quo quisque in studio primos exercuit annos,
serus idem post haec dedidicisse solet.
Is sum, cui Paphie teneros afflavit amores,
cum primum gravidae sarcina matris eram.
Ille ego sum, cujus versata in amore juventa,
ille ego, mox aetas ultima cujus amet.
Tu quoque suspiras, et eodem saucius arcu
Carre soles mecum talia saepe loqui.
At varios quamquam motus et sidera caeli
et rerum causas, quae latuere tenes,
sisque licet studiis musarum excultus, et arte
Paeonia, ac dulci praeditus eloquio,
non potes aligeri vitare Cupidinis ictus,
ornatus tantis dotibus ingenii.
Cum vero nostras liget inviolabile mentes
jam pridem captae foedus amicitiae,
haec mihi nunc tecum libuit conferre vicissim,
ne mea non tibi sit cognita conditio.

## AD CAMBIUM IURISCONSULTUM ET PHILOSOPHUM PERUSINUM

E3_12

Desine me gravibus toties obtundere dictis,
et vitae Cambi facta notare meae.
Nil agis, ac certum frustra mutare laboras,
nec potes a coepto me revocare meo.
Lintea tota dedit rapidis ubi navita ventis
et cita jam medio gurgite cymba volat,
non facile ad portus retro convertere cursum
quos modo discedens liquerit, ipse volet.
Sic ego, qui cupidi pelago male sanus amoris
jactor, ab hac nequeo vela referre via.
Et mihi jam dulce est in amaro vivere luctu,
tantum mens caecae perdita noctis habet.
Haec qui mira putat, vitas ignorat amantum,
nescit et ut cupiant saepe in amore mori.
Stabat in abruptis vates miserabilis antris
Eurydicen lugens nocte dieque suam.
Ismarus et Rhodope nequicquam et Thracius Hebrus
quaerebant solitae carmina blanda lyrae.
Saepe etiam Nymphas duri ad solatia casus
haec illi solitas dicere verba ferunt :
pone graves Orpheu curas, neu crede gemendo
Tartareos iterum posse movere deos.
Quod semel amissum nullo reparabile pacto,

hoc ipsum levius, si patiaris erit.
Invenies alios quos admireris amores,
Eurydicemque novam Thessala terra dabit.
Talibus, atque aliis frustra lenire dolentem
tentabant, monitis nec locus ullus erat.
Carminaque, et Nymphas, lucemque perosus, in ipsos
amens jactabat non bona verba Deos.
Ergo ego quid faciam ? Si natus Apolline vates,
atque dea curam vincere non potuit ?
Aut lapis aut ferrum est, quem numquam gaudia tangunt,
nec dolor asperitas nec movet ulla mali ;
quem blando numquam vultu spes allicit, et qui
nil timet, in quo non gratia, non odium est.
Aspice laesa suos ut saepe animalia prodant
affectus nostrae quae rationis egent.
Triste gemit duris incisa securibus arbor
et queritur viridem ponere maesta comam.
Saxorum oppositis frenati molibus amnes
indignantur aquas lentius ire suas,
gurgitibusque fragor spumantibus indicat iram,
sensibus ut propriis illa carere neges.
Gaudet ut accensis ramorum fascibus ignis,
sic super injecta flere videtur aqua.
Terra quoque et caelum modo rident et modo lugent,
forma nec in rebus permanet una diu.
Si varios igitur nequeo componere motus
pectoris, haud facti causa pudenda mei est.
Me natura hominem voluit mitissima nasci,
non in Caucaseis rupibus esse feram.
Hinc sequor humanis quae convenientia duco
moribus, aetati non aliena meae.
At tu, quem studiis sublimibus evehit ardens
ingenium, ad vitae liberioris iter,
quae mihi proponis clarorum exempla virorum,
tu sequere, et sine me fata subire mea.

## *LIBER QUARTUS*

### AD ANTHIAM

E4_1

Incipe laeta dies roseo procedere ab ortu,
igneaque extremus Lucifer astra fuget.
Jam matutineis auroram cantibus ales

garrula caeruleo suscitat e thalamo.
At tu, quae tantum nimis importuna moraris,
umbra soporiferae languida noctis, abi.
Deseret, huc rediens, peregrinas Anthia terras,
atque Antenorea moenia facta manu.
Ipse focis pia thura dabo, myrtoque virenti,
purpureisque tegam limina sancta rosis.
Hinc sacris operatus (amat Venus omnia laeta)
incipiam verno cingere flore caput.
Perfususque comas nardi felicis odore,
dicam ego percussa carmina laeta lyra.
Nec trahere in seram pudeat convivia noctem,
liberaque e poto fundere verba mero.
Sit procul hinc tristis rugae censura severae,
canaque cum duro barba supercilio.
Vos procul este, quibus fulvi sitis imperat auri,
oderunt curas Liber et alma Venus.
Nec vobis culpanda tamen lascivia nostra,
cernite quo superos impulit acer amor.
Ille Deum Rector, qui fulmine territat orbem,
sumpsit Agenoreis cornua littoribus ;
virgineamque tulit fraterna per aequora praedam,
sollicita repetens Gnosia rura fuga.
Quin etiam falsus niveas olor induit alas,
et teneros fulvo pressit in imbre sinus.
Non mare, non tellus, non saevi regia Ditis,
non ipsa Herculea sidera laude carent.
Fronte dolens lacera liquidis Acheloe sub undis,
non levis Herculei testis amoris ades.
Illi etiam victrix spoliato fortibus armis,
tradidit ornatus Lyda puella suos.
Quique tulit caelum, dominae mandata tulisse
creditur, et plenas attenuasse colos.
Materna quoties Delo, Delphisque relictis,
saucius Haemonias pavit Apollo boves ?
Aeger et artis inops nullis est intus ab herbis,
cum toties aliis ipse tulisset opem.
Populeis ramis, pro lauri fronde, coronas
cinxerat impexam, nexa sine arte comam.
Pauperis indutus rigido pastoris amictu
sedit in umbrosis vallibus Aemathiae.
Perditus ipse suos illic cantabat amores
carmine Phoebeis conveniente modis.
Aoniaeque vicem citharae supplerat amanti
stridula septenis canna foraminibus,
ecce leves Satyri coeunt, facilesque Napaeae
conveniunt, udo Naiadesque pede.
Mirantur vocem insolitam, mirantur et artem,
laudat et ignotum pendula turba Deum.
Forsan et hic aliquis me judice vincitur, inquit
Pan deus, et praefert te quoque Phoebe tibi.
Ad vaga desertis idem mox flumina campis

pastor agis pastas sole cadente boves ;
nec subiisse casam puduit, fenoque rigenti
inter cornigerum procubuisse pecus.
Ergo quicquid Amor suasit, decuisse putemus,
cum possit magnos sollicitare Deos.
Nec quisquam insanis contemnere vocibus ausit,
asper enim laesi numinis ultor erit.
Sed tibi dum veteris spectantur vela theatri,
ternaque fluminibus moenia cincta suis,
vel dum te Livi retinet veneranda sepulcro,
nunc sacrae sedes curia justitiae ;
aut dum visendi cupidam te fana morantur,
proximaque antiquo regia tecta foro,
aut dum caeruleum cymba juvat ire per amnem,
ortaque vicino balnea fonte petis ;
ullane cura mei tepido suspiria movit
pectore, securam quae minus esse sinat ?
An magis, erepto ne tristis amore vacares
rivalem nobis urbs Patavina dedit ?
Vobis, formosae, nam cuncta licere putatis ;
crimina vestra tamen fama sinistra notat.
De te nec possem mordaci credere vulgo,
nec te perfidiae suspicor esse ream.
Judicio sed casta meo, peccare caveto
intentos oculos Juppiter altus habet.
Si petis interea quid agam, dum lenta moraris,
mecum bella gerunt spes timor atque Venus,
nam modo te votis fingebam vita peractis,
Ferrariam celerem velle referre gradum
a quoties falsus de te mihi saepius augur
nec dubium novi praepetis omen avis !
Et modo te rebar violentis febribus aegram
torqueri, infectos pertimuique locos.
Nunc pater invitae ne quem tibi jungere vellet,
qui creber tota rumor in urbe fuit.
Occurrit, quoties aliquis mihi laetus amator,
hujus agunt dixi vela secunda ratem.
Sed mea nec remis agitur, nec fertur ab auris
unca procelloso est ancora jacta salo ;
et cibus, et somni ingrati, te absente fuerunt
nullaque nox misero non vigilata mihi.
At sopor invitus si quando irrepit ocellos,
non ideo vacua mente manere licet.
Nam tua quam primum in somnis occurrit imago,
et renovat curas insidiosa meas.
Te quia non poteram, visebam saepe fenestras,
queis mihi saevus Amor vulnera mille dedit.
Attonita quoties perlegi mente tabellas
quae me discessus praemonuere tui ?
Mecum semper erant, illas quoque forte legebam,
cum mihi in Angelica Lausa reperta via est.
Rettulit illa brevi redituram tempore alumnam,

quartus ubi niveos sol agitasset equos.
Hac prius exanimis tum demum voce revixi,
et rediit toto perditus ore color.
Vellere Phryxeo nec sic laetatus Iason,
nec Paris advecta Pergama Tyndaride.
At tu ne fuerint mea gaudia vana, redito,
hancque diem verax vaticinetur Amor.
Aspice, jam liquido tibi rident numina caelo,
et placidae volucres carmina blanda canunt.
Certat odoratos tibi fundere terra colores,
ne desint nitidae florida serta comae.
Jam pater Eridanus tumidam compescuit alvum,
jamque vocat pandos aura secunda sinus.
Populus ex ripis tibi plurima porrigit umbram,
candida ne fervens Sirius ora notet.
Jam virides fusae per caerula colla capillos,
nabunt et ludent Naiades ante ratem ;
inque tuum Dryades, Satyrique et Panes honorem
praecincti varia tempora fronde canent.

## AD NICANOREM SERVUM. AD NICANOREM PUERUM SUUM UT PHOLOEN LENAM ACCERSAT.

E4_2
I celer ac Pholoe perfer mandata Nicanor,
ne miserum lenta torqueat usque mora.
Jam facito veniat, secum mea gaudia ducat
dicito me jussis delituisse locis.
I, propera, teque ulla puer cave rixa retardet,
ni tibi forte cupis magna venire mala
quod si quam primum per te potiemur amica,
libertas pretium sedulitatis erit.

## AD AMICAM

E4_3
Si levior foliis, auraque incertior essem,
et flueret modico tempore nostra fides,
non ego tam longo constans in amore fuissem,
ire nec assiduas cogerer in lacrimas.
Nec graciles adeo macies consumeret artus,
nec mea mutaret pallidus ora color.
Sed vos decipere incautos didicistis amantes,
et queritur laedi fallere siqua parat.
Tu me infelicem formosam Lotida narras,
et Mareotinidem praeposuisse tibi.
Has ego dispeream, si praeter nomina novi,
tardaque et infido sit mihi dura Venus.
Te ne ego deserta potuissem ducere vitam,
haec Jope quamvis, Inachis illa foret ?
Non sum quem valeant aliae mutare puellae,

nec meus incertis passibus errat amor.
Huc cursum tenui, tu portus es, ancora nostra hic
haereat, hinc nullis fluctibus ejiciat.

## AD ANGELUM DECEMBREM

E4_4
Angele, si quis erit, lacrimosi plena doloris
qui tua non tristi carmina fronte legat,
ille feras inter saevis in rupibus ortus,
aspera duritie vincere saxa potest.
Non ego talis in hoc, sed amici fletibus angor,
immeriti quem sors vexat acerba mali.
Certe dignus eras hominum caelique favore,
nec tali casus convenit iste viro.
In te consumpsit vires fortuna nocendo,
nil superest, ut jam possit obesse tibi.
Sed licet in tenues concesserit irrita ventos
intempestiva spes tua morte ducis,
nec promissa patris servet tibi filius haeres,
abstuleritque tuas Gallus adulter opes ;
non tamen ista valent rectam infortunia mentem
eripere et virtus inviolata manet.
Candidus ille viget morum tenor et pia vitae
simplicitas nullis est labefacta dolis.
Parsque tui melior fraudem praedonis iniqui
despicit, ac ferrum terribilesque minas.
Namque sacros inter celebraberis Angele vates,
seraque posteritas scripta diserta leget.
Et clarum toto stabit tibi nomen in orbe,
donec in aequoreas rex Padus ibit aquas.
Dura fuit rerum jactura ut scribis, at illud
triste magis versus tot periisse tuos.
Namque domum et vestes, nummosque et praedia siquis
perdidit, haec aliqua sunt reparanda via.
Casus et indulgens hominum praesentia multis
amissas duplici fenore reddit opes.
Quis tibi restituet non exemplaribus ullis
tradita per longas carmina facta moras ?
Quorum si qua manet memori sub mente reposta,
pars tibi, plura tamen pectore lapsa reor.
Atque ita susceptus frustra est labor ille jacetque
clarorum in tenebris fama sepulta virum.
Quo fit ut indigner doleamque, impune quod ausus
in te sit tantum barbarus ille nefas.
Ille sacras aedes potuit spoliare Deosque
qui vertit duras in tua damna manus.
Non illum pudor aut pietas aut gratia movit,
nec vindex magni terruit ira Dei ;
et bona Pieridum dextro tibi numine parta
sacrilega rapuit barbara turba manu.

Sed non parva mali restant solatia, quod non
   ullius culpae conscius ipse tibi es.
Adde quod illustres multi graviora tulerunt
   his quae tu pateris, nec meruere viri.
Respice Threicii fatum miserabile vatis
   est et Arioniae cognita causa fugae.
Exul inops degens in amaris Naso querelis,
   finiit extremam per mala multa diem.
Hos praeter facile est aliorum exempla referre,
   quae quoniam tibi sunt nota, silenda puto.
Sed tamen ad vatem pauca haec de vatibus istis
   dicta velim, quamvis fabula trita foret.
Quod petis egregii pietas spectata Casellae,
   et favet et voto est officiosa tuo.
Nec tibi Castellus regi gratissimus, et qui
   rectum amat, optatam ferre negabit opem.
Nos quoque, si precibus quicquid studioque valemus,
   si quid apud magnum est gratia nostra Ducem,
hoc erit omne tuum, nec non curabimus una
   consulat ut rebus regia cura tuis.
Caetera semper agat, quamvis dignissima laude,
   Borsius, haud minor hac gloria parte venit.
Quod bonus afflictis succurrere novit, et idem
   magna solet meritis praemia ferre viris.
Saepius hoc alii senserunt ; Angele rursum
   ad vivas sitiens ipse recurris aquas.

## DE DIE NATALI ANTHIAE

E4_5 Natalem Dominae mecum celebrate Coloni,
   et positis curis undique cesset opus.
Hunc nitidi servate diem, vinclisque solutis,
   demant servitio libera colla boves.
Nunc agitate choros et carmina dicite laeti,
   nec madidum verno stet sine flore caput.
Cernite quam roseus successit ab aequore Titan,
   utque tegant clarum vellera nulla diem.
Garrula vicinis carmen Philomela sub umbris
   integrat et solito dulcius orsa queri.
Hac fecunda die pubescunt gramina campis ;
   floriferos aperit terra benigna sinus.
Hac quoque luce Venus mediis in fluctibus orta est,
   dixit et Aprilem nomine diva suo.
Omnia laetantur, pariter laetemur et ipsi,
   candida nos positis mensa vocat dapibus.
Ocius annosum pueri proferte Lyaeum,
   porgite sollicita pocula plena manu.
Tibia nunc hilaret bifori convivia cantu,
   atque habeant nullum verba jocosa modum.
At tu, quae magnam sine me nunc incolis Urbem,

Anthia, natali munera solve tuo.
En agedum ; lymphis nitidi rorentur ocelli,
atque suo tenues ordine pone comas !
Hinc roseis digitis habilem tibi finge coronam
membraque seposita candida veste tege.
Sic demum genio meriti referantur honores ;
ille novum mira condidit arte decus.
Ille tibi insignem cui cedunt omnia formam,
ille etiam eximium praebuit ingenium.
Sed tibi nec libeat Pauli procedere ad aras,
nec pete clamoso proxima templa foro.
Nec minus angelicae fanum memorabile Matris
effuge, rivales haec loca semper habent.
Ipsa Dei satis est volucres qui ponderat umbras
si vetus oblato munere limen adis.
Hic mille impedient juvenum tua vota catervae,
Anthia, rarus in hac aede vagatur amans.
Tunc securus ero, tunc me tibi pectore fixum
crediderim longa posse manere die.

## AD SEREM OMNI IN RE EXCELLENTEM

E4_6 Ser jucunde mei fautor, cantorque libelli
cujus ab ingenio commoda multa fluunt ;
ecquid erit tempus meritis pro grandibus in nos
reddere quo liceat praemia digna tibi ?
Crede mihi, verbis, et re tibi dicar amicus,
nec tua Lethaeis facta dabuntur aquis.
Humanae quis mentis enim tam nudus, et expers
ut te non toto pectore semper amet ?
Tu Paridem forma, tu Phoebum vincere cantu,
et satyros agili dexteritate vales.
Nec quisquam ad numerum melius pede pellere terram
novit et argutae tangere fila lyrae.
Nemo pilam tanta missam procul excipit arte,
seu sublime volat sive resultat humo.
Ense places nudo, posito gladiator amictu,
cum celeres armat ludicra pugna manus.
Herculea fortem exerces virtute palaestram,
et par Portuno Cymothoeque natas ;
eloquioque potens et fortibus utilis armis,
Mars animis, Pollux es pede, Castor equo.
Te quaecumque vident, cupiunt sine fine puellae,
te pueri et juvenum turba senesque probant.
Sed tibi nummorum si copia magna supersit,
rex regum fies, quicquid et ipse voles.

## LAUS VERIS AD SYLVIAM

E4_7

Jam redeunt Zephiri et varios resoluta colores
pingit humus, renovatque comas formosaque prata
candidus Europae vector viridantibus herbis
vestit ; hiant flores, vernantia lilia surgunt ;
purpureosque aperire sinus rosa plena decoris
incipit et late suavem diffundere odorem.
Jam defensurus rapidis a solibus uvas,
pampinus umbroso vites obnubit amictu.
Nunc rident silvae, nunc omnis frondibus arbor
luxuriat fecunda novis, nunc montibus umbrae
densantur, Dryadasque tegunt, Satyrosque biformes.
Ipsa suas caelo segetes prospectat ab alto
crescentes, votisque Ceres aspirat agrestum.
Garrula nunc solitas repetit Philomela querelas,
perfidiam Terei deflens, scelerataque facta.
Et maculis Progne plumas infecta cruentis
tecta petit luteosque parat suspendere nidos.
Murmure nunc rauco jungunt sua rostra palumbes
et variae placido mulcentes carmine caelum,
consociantur aves ac laetis rursus amorem
vere novo revocant animis, nitidique vagantur
fontibus et fluviis, luduntque per aequora pisces,
nec Veneris possunt flammas exstinguere in undis.
Nunc etiam cantus per roscida rura puellae
exercent, atque hortorum populantur honorem.
Illa comas Narcisse tuas, haec candida carpit
lilia, purpureosque aliae legere hyacinthos.
Detinet has quondam Cythereius ignis Adonis,
mox decus hortorum et Nympharum praeda futurus.
Haec jungit serpilla rosis, haec mella daturum
subsecat ungue thymum, texto pars vimine gestat
florentes casias, immortalemque amaranthum ;
parsque legit placidos factura papavera somnos.
Vos quoque virginei spoliant violaria coetus,
nec croceis, nec purpureis, nec parcitur albis ;
innumerosque metunt flores, decerptaque caltha
pingit flammeolo vaccinia nigra colore.
Denique quicquid habent florum tua septa Priape
diripiunt, gaudentque novas gestare corollas.
Nunc genus humanum, vastique animalia ponti
nunc pecudes, volucresque, graves sub pectore curas
concipiunt, carpitque animos, atque ossa Cupido.
Aureus aequoreis ubi sol caput exerit undis,
Oceanique Aurora torum formosa reliquit,
laetus in herbosos saltus armenta reclusis
pastor agit stabulis, armillatusque molossus
prosequitur, qui bella lupum insidiasque ferentem
arceat et saevis latratibus urgeat hostem.
At circumfusae pascunt rorantia vaccae
gramina ; vicinis nemorum pars errat in umbris,

pars tenera procumbit humo, silvasque sonantes
mugitu late complet, pars ruminat herbas,
cornibus aut acres inter se proelia tauri
adversis ineunt ; magno concussa fragore
terra sonat, niveaeque accendunt bella juvencae.
Tum gregis aprica residens in rupe magister
qua vitreus salientis aquae per levia rivus
saxa fugit sonitu exiguo, cerealia liba
et sale durati frustum suis expedit et quas
mensa petit secura dapes. Hinc faginus illi
cantarus effundit glocitanti pocula collo.
Non illum curis amor immoderatus honorum
acribus exagitat, nec opum vesana libido ;
paupere contentus cultu, fususque per herbam
aut molles captat somnos aut carmina dicit
argutos inflans calamos, collesque propinqui
auditas iterum referunt ad sidera voces.
Sed mihi nec sine te liquidi, mea Silvia, fontes
nec nemora alta placent, nec prata virentia, nec qui
florentes campos riguus perlabitur amnis.
Pinus ubi dilecta Deo, cui Maenala parent,
aut arbor Jovis aut Alcidae tempora velans
populus ac platani ingentes, et odora cupressus
tellurem late frondoso vertice opacant,
huc ades, o spes una meae certissima vitae,
juniperi virides et te Peneia laurus,
umbrosaeque vocant fagi. Jam flumina gaudent
adventu formosa tuo, intonsique resultant
laetitia montes. Ah felicissima rura,
fortunata nimis, pedibus tangenda puellae,
cujus Hamadryades faciem mirentur honestam.
Ecce tibi densis frutices umbracula texunt
frondibus, atque jocis secreta cubilia praestant ;
hic placidum Zephyri suadent captare soporem,
agmine percusso foliorum ; non tibi cantus
defuerint avium, electro nec purior unda
et suspensa sacris resonant examina lucis ;
respice serpentes hederas, et amoena vireta
nympharum, ac gelidis rorantia fontibus antra.
Saepius hac Dictynna suis comitata puellis
auritos agitat lepores, hic Pana canentem
posthabito agricolae referunt vidisse Lycaeo.
Hos Lenaeus amat colles, haec incolit arva
flava Ceres, Pallasque suas hic sevit olivas.
Ipse ego ne turbet placidam insidiosa quietem
vipera, triste ferens infixo dente venenum,
Argus ut Inachidem vigilanti lumine custos
servabo, spargamque sinus bene olentibus herbis.
Hic formosus Amor maternas, aspice, myrtos
colligit, atque uni tibi mollia serta reservat.
Interea pharetram vicino in gramine, et arcum
securus posuit, quam late gentibus ille

103 perpetuam de se famam daret, aurea si quis
104 spicula surriperet, fractumque exureret arcum.
105 Non hic Armeniam tigrim, Libycumve leonem
106 invenies, rictu qui candida membra cruento
107 dissipet, ingenti sed me qui victus amore
108 uror, et ipsa vicem reddas te protinus oro.
109 Ergo age, ne dubita patrios, mea vita, penates
110 linquere, neu solis metuas te credere campis ;
111 nam tutum praestabit iter tibi pulchra Dione,
112 et septam obscura densi teget aeris umbra ;
113 ceu quondam Libycae Carthaginis alta petentem
114 moenia, cum fido natum velavit Achate.

## AD SYLVIAM

E4_8 v.1 Sylvia cara vale, valeat fidissima Dirce,
2 rura meis valeant conscia deliciis.
3 Corpore discedens, animum mentemque relinquo,
4 debilis incertos vix movet umbra pedes.

## DE ADVENTU BORSII IN GENIALES AGROS

E4_9 v.1 Quaeritis unde novo diffusum lumine caelum
2 rideat, invisas quidve fugarit aquas ;
3 cur liquidus nullis agitetur flatibus aer,
4 cur placidum tacitis stet mare littoribus ;
5 almave cur posito tellus squallore virescat,
6 et se purpureis floribus induerit ;
7 quid quaeque exsultet ramis frondentibus arbos,
8 cur solitum repetat garrula carmen avis ?
9 Non hic causa fuit mutato sidere Phoebus,
10 nec vaga roriferis Cynthia luminibus.
11 Sed modo cum peteret geniales Borsius agros,
12 reddidit aspectu cuncta serena suo.
13 Borsius humanos meritis superavit honores,
14 miranturque novum secula nostra deum.

## BORSIO DUCE PACEM FUISSE FERRARIAE, CUM ALII POPULI BELLO PREMERENTUR. DE QUIETO ET TRANQUILLO BORSII DUCIS ESTENSIS IMPERIO.

E4_10 v.1 Dulcia sepositis agitemus gaudia curis,
2 et sacrum Borsi nomen ubique sonet.
3 Ille suis praesens populis Deus otia praestat,
4 dum reliquo Mavors impius orbe furit.

## DE LEONE BORSII DUCIS

E4_11

Clausus in extremis regalis partibus aulae,
ecce fremit Libyco missus ab orbe leo.
Artificique locum paries munimine cingit
undique, et egressum ferrea claustra negant.
Addidit huic operi tutam Dux Borsius arcem,
turbaque subjectam despicit alta feram.
Ipse modo immites tauros, nunc objicit illi
terribiles ursos fulmineosque sues.
Nec mora, concurrunt, sua quilibet expedit arma :
pugnatur cornu, dentibus, atque pede.
Aspera sanguineus miscet certamina Mavors,
atriaque horrendis vocibus ampla sonant.
Hunc ardens animi vigor, at metus excitat illum.
Audacemque inter saeva pericla facit.
Alter pugnat uti sese tueatur ab hoste,
alter at insano caedis amore furit.
Vis superat, tristem dirimit victoria pugnam,
et tellus multo sparsa cruore madet.
Tum super assistens morientia corpora calcat,
et laniat victor membra cruenta leo.
Haec eadem parvis, timidisque animalibus, ultro
scit virtus posita parcere saevitia.
Illaesum leporem catulumque impune vagari
ante suos oculos mitis et ora sinit.
Nec reor hanc illi naturam infundere mentem
sed domini exemplis utitur ipse sui.
Odit enim tumidos fastus, atque impia facta,
Borsius et probitas hoc duce tuta viget.
At modo, cum ruerit praeceps in fata puellae,
a domino penitus dissidet ille suo.
Sustulit ingratus, cui quondam plurima debens
pectendasque jubas et fera colla dabat.
Dux pius et factis hominum sua praemia reddit,
et nulli, quamvis laesus, obesse cupit.
Qualem se vero caris praestabit amicis,
hostes qui facile norit amare suos ?
Ergo cum Patriae te dicimus esse parentem,
Rex bone, sunt meritis haec leviora tuis.
At si dignus honos et par virtutibus amplis
quaeritur, humanae non opis istud erit.
Quod licet in terris veneramur numina Borsii
certaque, ni renuis, jam tibi templa damus.

## DE TEMPLO SUBLIMI BORSII. IN SAXO QUADRATO ANTE FORES BASILICAE CARTEUSINENSIS EXTRA URBEM FERRARIAM

E4_12

Aspice sublimis, lector, fastigia templi,
atque admirandae nobile molis opus.

Plurima cum dederit terris, haec munera caelo
dat Borsii pietas officiosa ducis.

IN COLUMNA VIVENTI BORSIO ERECTA INCISUM EPIGRAMMA.
DE MARMOREA COLUMNA QUAM FERRARIENSIS POPULUS BORSIO PRIMO DUCI ESTENSI OB EIUS EGREGIAS ET SINGULARES VIRTUTES VIVENTI AC BENEMERENTI POSUIT

E4_13
Hanc tibi viventi Ferraria grata columnam
ob merita in Patriam, Princeps justissime Borsi,
dedicat, Estensi qui Dux a sanguine primus
excipis imperium, et placida regis omnia pace.
Verum ingens quando sibi vindicat omnia virtus
et longe humanam superat tua plurima sortem
gloria, divinos si tu patiaris honores
ultro ipsi dabimus, meritasque sacrabimus aras.

DE SIGNIS BORSII DUCIS IN HOSTELLATENSI TURRE DEPICTIS

E4_14
Haec in honore tuo praeclara insignia, Borsi
optime dux, nulli inferior vel pace vel armis,
ponimus, Estensique domo et te principe digna.

DE EIUSDEM SIGNIS IN ATRIO QUARTISANAE DEPICTIS

E4_15
Signa vides, hospes, totum celebrata per orbem
principis Estensis. Quantum ingens flumina pontus
exuperat, quantum concedunt sidera Phoebo,
tantum animo praestans et pacis amator et aequi
vincit magnorum dux Borsius acta parentum.

AD MARCUM VENETUM MAGNIS LAUDIBUS EIUS INGENIUM PROSEQUENTEM QUAERENTEMQUE CUR LEVIORA CONSECTANDO ALTIOREM MATERIAM NON AGGREDERETUR

E4_16
Me tua, Marce, novo celebratum carmine musa
Bellerophonteis vatibus inseruit.
Magna tibi a nobis debetur gratia, nec me
immemorem tanti muneris esse decet.
Non tamen his adeo confidere laudibus ausim
ut me, quod non sum, turpiter esse putem.
Haec est causa, leves quod scribam semper amores,
magnanimi veritus tangere facta Ducis.
Namque ea divini virtus et gloria Borsi est,
poscat ut egregii nobile vatis opus.
Quod si forte meos lusus contempseris, aut tu

12 magna cane, aut similes ede poeta jocos.

## AD CLARUM POETAM PANORMITAM RESPONSIO PRO VILLA SUA

E4_17 v.1 Parva Panormitae quid tanto munere dignum
2 villa dabit, saevis obruta fluminibus ?
3 Ecce ego jam videor colles superare Falerni
4 arvaque frugiferae pinguia Sicaniae.
5 Gratius est Siculi celebrari carmine vatis,
6 quam si Palladio tota liquore fluam.
7 I felix, reducemque, sacri post oscula regis,
8 excipiat tenero Laura pudica sinu.

## PRO CANIBUS GEMINIS PARVIS QUOS DIVO BORSIO MARCUS BRUNUS DONO DEDIT NOMINE PONTICONIS EORUM PARENTIS

E4_18 v.1 Nos tibi, summe ducum, Marcus dedit ecce gemellos,
2 a Ponticono munera missa patre.
3 Floruit ille tua quondam celeberrimus aula,
4 dum validas vires prima juventa daret.
5 Nunc senio virtus et longis torpet ab annis,
6 acceptaque jacent languida membra rude ;
7 sed quaecumque fuit genitori cura fidesque
8 haec eadem natis cura erit atque fides.
9 Et ne decipiat nostri te nominis error,
10 ni tibi forte grave est, haec quoque pauca lege :
11 Ponticonus hic est ; ego Pontichinus ; et ambo
12 sub Borsi cupimus vivere servitio.
13 Ergo age ; nos placido, princeps mitissime, vultu
14 excipe, nosque tui jam gregis esse jube.

## AD VIRUM CLARISSIMUM ET ORATOREM EXIMIUM GUARINUM VEROSENSEM DE PHASI AVE.

E4_19 v.1 Si quis Apollineum miratur Ariona quondam
2 caeruleo invectum delphine stupentibus undis,
3 dulcibus illectos pisces tenuisse querelis ;
4 si quis et aerios montes et saxa ferasque,
5 et nemora et volucres et verso flumina cursu
6 mollia Bistonii properasse ad carmina vatis ;
7 confisumque lyra si quis cinxisse canendo
8 Thebanam subitis Amphiona moenibus urbem
9 credibile esse negat ; nostri miracula secli
10 audiat, et quicquid cecinit veneranda vetustas
11 a falso distare procul verumque putabit.
12 Quam ferus accipiter captam me teste peremit,

ecce iterum fruitur vitali lumine phasis,
atque novam induitur formam, farique diserte
novit, et ad dominum defert mandata priorem.
Non tamen hanc ullis vates Epidaurius herbis,
ceu quondam exstinctum Hippolytum, mandante Diana,
rettulit in lucem, nec carmine dira potenti
Phasias aetherium revocavit rursus in orbem ;
verum illi hoc tantum magni nova musa Guarini
muneris attribuit ; dumque altum lucida caelum
Astra colent, dumque Adriacis Padus influet undis,
dum Borsi Ducis extabit venerabile nomen
laudibus egregiis ac dextro numine partum,
immortalis erit longumque manebit in aevum
nostra Guarineo celeberrima carmine phasis ;
Assyriaeque parem volucri mirabitur aetas
postera, vivacem innumeros durasse per annos.
At cui permissum est tristi data corpora leto
spiritibusque animare novis mortemque fugare,
humanum alitibus sensum dare, verba docere
Pierios imitata sonos, hominumve Deumve
hunc rear esse ? Deus certe, Deus ille putandus.
Ergo sibi vitam poscens a te, optime vates,
altera phasis adest, animam cui martius ales
abstulit, atque suam sortem ne sorte sororis
pejorem rogat esse velis, instructaque sacris
artibus, huc a te mitti legata, Guarine,
flagitat, ut caro tua carmina reddat alumno
divitiis Croesi atque Mydae quae praeferat auro.

## AD DIVUM BORSIUM

E4_20

Dux, genus a magna qui ducis origine Regum
   imperioque refers aurea secla tuo,
qui propria gaudes virtute excellere, cujus
   gloria nullius crescere laude potest,
quo nihil a superis optet Ferraria majus,
   tradere quo melius nil potuere Dei,
si qua tibi tot res ingentes otia linquunt,
   haec facilis placido lumine pauca lege.
Corporis egregias non hic perscribere laudes
   conor, nec regni jura referre tui ;
nec loquor hic a te purgata paludibus arva,
   messibus ut largis cultus abundet ager.
Non sacras aedes, non clara palatia per te
   sumptibus innumeris aedificata canam.
Qua tua se mole attollat Carthusia linquo,
   et Schivinoiae gratia quanta domus.
Nec mihi cura, novis quas muris cinxeris arces
   dicere, nec pulchrae moenia Ferrariae.
Rem quoque non parvam sileo, quod tollis in ima

planitie excelsi nobile montis opus.
Magna quidem sunt haec, hominum sed facta labore
nec decus ad proprium tu tibi solus habes.
At punire malos, aequa dare praemia lance,
ponere non sanis frena cupidinibus ;
invictumque malis animum praestare, Deosque,
ut facis, ante oculos semper habere tuum est.
Non ego mira puto, quibus hic tibi vera paratur
gloria, quae recta ducit in astra via.

## AD TRIBRACUM MUTINENSEM POETAM

E4_21 Tribrache, divinum quis te neget esse poetam,
cum tibi tale sacro carmen ab ore fluat ?
Namque modo ostendit tua nobis scripta Metellus,
quem fratri comitem rura dedere meo.
Illis quid potuit numeris ornatius esse ?
Quae vis, ingenii gratia quanta tui ?
Sic ego Nasonem, sic te, jucunde Properti,
sic ego te video, culte Tibulle, loqui.
Ecce novum per te Latio decus additur, et jam
vate suo tollit se Mutinensis ager.
Atque utinam nostris simul exposuisset in oris
devectum celeri te quoque cymba Pado.
Nulla mihi major potuit se offerre voluptas,
et tali felix hospite villa foret.
Tecum Castaliae properassent ire sorores,
et bona Thyrsigero gratia juncta Deo ;
florida Parnasi juga deseruisset Apollo,
ad mea dignatus limina ferre pedem.
Nec dubita, ne forte tibi, numerosque sequentum
nostri sufficiant, Tribrache docte, Lares.
Borsius, Erigone, Pallas, Maiaque creatus,
quattuor has aedes incoluere Dei.
Et comitum quamvis ingens accederet ordo
hospitibus locus hic pluribus aptus erat.
Ergo tuis paulum a studiis intenta relaxes
pectora et ad lusus curre, poeta, meos.
Seu cupis auritos lepores agitare, videbis
currere Turcigenas lata per arva canes ;
sive avibus, quae stagna colunt, indicere bellum
te juvat, egregii sunt, mihi crede, duces.
Suspicies ternos volitare per aera fratres,
altaque veloci tendere in astra fuga.
Inde ubi tempus erit, liquidum per inane repente
delapsi, magno turbine ad ima ruent.
At sonitu ingenti, quae territa fugerat ales
aut cadet, aut notas anxia quaeret aquas.
Vertice non illos pater Apenninus in alto
dura nec in saevis rupibus Ilva tulit.

Extremo Boreas peregrinos misit ab orbe,
clarum falcones hic quoque nomen habent.
Quod si te potius piscandi cura tenebit
vicino tendes retia rara Pado.
Haud tibi praeterea quibus oblectere libelli
deficient, musis nec loca grata tuis.
Quid referam Nymphas, Satyrosque in amore calentes
Panaque, vel Dryadum Naiadumve choros ?
Conveniunt, sacroque haerebunt numina vati
quilibet optabit proximus esse tibi.
Hic centum Oenonas, centum hic mirabere Daphnas,
et totidem Heliadas, Inachidasque simul.
Nerine cedet nostris Galathea puellis
cedet et Alphei cura Arethusa sui.
Ipsa etiam duro sub judice victa rubebit
Salmacis, et tenerum quae rapuistis Hylan.
Hinc Minois abest conjux, et Phaedra, furensque
Colchis et ignaro subdita Myrrha patri.
Aeolidem nullam, nullam Niseida cernes,
nullam Nyctimenen haec tibi rura dabunt.
Sit procul inconcessa Venus, caedesque, nefasque
stent sacra, cognatis sint sua jura toris.
Certa fides, propriumque decus servetur amicis,
candidus inter nos et levis erret Amor.
Garrula sed quamvis nondum certarit hirundo,
nec luteam solita struxerit arte casam,
et scelus immitis nondum Philomela tyranni
coeperit arguto flebilis ore queri ;
ipse veni tamen, et faciles duc, Tribrache, Musas
ad Quartisanae rura benigna meae.
Hic loca perspicies gratis secessibus apta,
cum suus est pratis arboribusque decor ;
unde queas Zephyros olim captare, notabis
et quibus e ramis densior umbra cadat.
Post, ubi tempestas aderit jam mitior anni
huc iterum rediens non novus hospes eris.

## AD BAPTISTAM GUARINUM

E4_22

Non ita, cum rapido fervens sitis urget in aestu
quaerit fontanas cervus anhelus aquas ;
nec vaga sic avide, rediere ubi tempora veris,
cantat et in teneris frondibus errat avis ;
nec sic laetus adit patriamque domumque viator
post terrae et vasti longa pericla sali,
ut, Baptista, libens nuper tua carmina legi
ubere de vena, quae tibi culta fluunt.
His ego perspexi, quod me non fugerat, in nos
ex omni studium crescere parte tuum.
Scilicet hic animi modus est, ratioque benigni,

ut nulli in magno cedere amore velit.
Hoc in Oreste suo Pylades, in Achille Patroclus,
Euryalusque pio vidit in Hyrtacide.
Se quoque Pirithous numquam non sensit amari
cum sibi devinctum Thesea diligeret.
Tu quem jampridem studio complector amico
gratus es, atque pari par in amore refers.
Silvarum cupidi vates, et ad otia nati
secessus molles, et loca sola petunt ;
illic securo de pectore carmina ducunt
laetaque jucundae tempora sortis agunt.
Talia nos etiam memoras exempla secutos,
clamosi strepitus deseruisse fori ;
tum Quartisanae genialia rura colentes
condere quod longo tempore duret opus.
Quin vatum egregios, te judice, dicor honores
aequare, et magnum nomen habere feror.
Laeter, an indoleam quod me tot laudibus ornes ?
Quod veterum claris conferar ingeniis ?
Non equidem possum mihi non gaudere, disertis
auribus usque adeo scripta placere mea.
Nam non ulla potest homini laus gratior esse,
quam quae laudati prodit ab ore viri.
At nostro exiguae quam sint in carmine vires
cum subit, ingenuus tunc pudor ora notat ;
et vereor ne non titulis respondeat istis
ingenium, quod tu tollis ad astra meum ;
subdubitoque oneri ne sint, quae tradis honori,
judicio inveniar si minor esse tuo.
Si qua tamen nobis dicendi gratia, si quis
creditur in nostris versibus esse nitor,
hoc, Baptista, tuo tribui decet omne parenti,
quo duce Pieria coepimus ire via.
Imbuit ille rudes generosis artibus annos
atque haec ex illo flumine manat aqua.
Eheu quale decus mors abstulit invida terris,
cum patrios adiit nobilis umbra polos.
Te, venerande senex, vitae praecepta ferentem
optima divino sensimus ore loqui.
Nunc tecum occubuit geminae praestantia linguae
et cecidit prisca cum pietate fides.
Graecia te luget, lacrimis comitata Latinis,
interitumque gemit barbara terra tuum.
Illa tamen nobis restant solatia, quod, te
erepto, superest pars quoque magna tui.
Vivit enim, vivetque diu tua gloria, cujus
aemula natorum surgit honesta manus.
Si cuiquam videor sub praeceptore Guarino
profecisse parum, culpa docentis abest.
Quod male percepit clari documenta Magistri,
discipuli arguitur tardius ingenium.
Ut tamen accipio, populi mea venit in aures

Anthia, nec doctis displicet illa viris.
Nosque poetarum numero (si credimus illi)
non humili inseruit dextera fama sono.
Quicquid id est, lusi juvenis juvenilia, si qua est,
serviat hinc magno nostra Thalia duci,
cujus facta licet nequeam comprendere dictis
Borsiaque Estenses gloria vincat avos,
quid possim experiar, meritorum principis in nos
officiique memor quo ferar esse mei.
Si deerunt vires, studiumque fidesque supersunt ;
haec non ingratae pignora mentis erunt.
Caetera maturo sed cum gerat optimus heros
consilio, populis prospiciatque suis,
nunc quoque laudari meruit de rhetore tanto,
quod bene consuluit civibus ipse suis :
virtuti confisa tuae Ferraria cum te
defuncti cuperet munus obire patris,
sensit idem et laudi meritae Dux praemia solvit,
decreto et sanxit publica vota suo.
Quaeque olim fuerat divini cura Guarini
hanc tibi mandamus non renuente Duce.
Novit enim judex hominum, censorque severus
te nihil a magno degenerasse patre ;
et tibi vix dum etiam juveni crescentibus annis,
doctrina paucos eloquioque pares.
Quid magis optandum tibi ? Quid contingere majus
tanto consensu judicioque potest ?
Sic igitur, clara similis virtute parenti,
dignus in hac patrias excipis urbe vices.
Et jam nostra fluit, pariterque externa juventus
undique praeceptis instituenda tuis.
Ac desiderium minuit Genitoris adempti
par in te probitas ingeniique vigor.
Tu nobis virtute tua meritisque parentis
carus es, inque dies noster abundat amor.
En age, quodque facis, duros evince labores ;
aspice quantum in te, et quale recumbat onus.
Tum cui succedas, quo sis patre natus, et a quo
veneris accitus, pectore volve tuo.
Hoc erit acris equi stimulis accendere cursum,
et sinuosa citae tradere vela rati.
Ille triumphales statuas spectabat avorum
cui celebres titulos Africa victa dedit :
sensit enim his visis ardorem insurgere menti
seque novo pulchrae laudis amore rapi.
Tu quoque sic facito, et reliquos cum viceris omnes
te supera, et decori grandius adde decus ;
interea valeas, nostri memor, optime vates,
quo mihi non alter junctior esse potest.

## AD CARBONEM POETAM ET ORATOREM

E4_23 An tibi non faveam ? Te non admirer amemque,
candidior pura, Carbo poeta, nive ?
Crede, meo cum tu poteris de pectore labi
tunc animae potero non memor esse meae.
Doctus es, et culti placido sermonis ab ore
dulcior Hyblaeo copia melle fluit.
Nec minus orator, quam vates optimus, idem
nunc patriae linguam tradis utramque tuae.
Barbarus est, quicumque capi virtutibus istis
se negat, et tantum non probat ingenium.

## AD ANTHIAM AMICAM QUOD SOLVERIT FIDEM

E4_24 Quod toties timui, quod tu mihi saepe negasti,
jam non ulterius dissimulare potes.
Ipse ego, nec fallor, coram tua crimina vidi,
et me (quod nollem), perfida, teste rea es.
Vidi ego, cum juvenis nocturno tempore furtim,
me miserum, vestris prodiit e foribus.
O ego, ne facinus spectarem, impura, nefandum,
quam mallem trucibus praeda fuisse feris ;
vel posuisse brevem, properato funere, vitam,
vagitus primos cum tener ore dedi !
Tunc perii infelix, tunc me dolor abstulit acer,
tunc oculos satius non habuisse fuit.
Quin et culpa mihi tua quo manifestior esset,
in mediam haud dubitas prosiluisse viam ;
nec pudet egressum posita revocare lucerna,
et longo ante fores ducere colloquio.
Vix lasciva parans, vulgato corpore, quaestum
audeat hoc medio fornice Graia Lyce.
Haec mihi non fingo ; vos, conscia sidera, testor
et vos cornigerae lumina clara Deae.
Quam me paene furor praeceps rapere arma coegit
et vestrae finem tradere nequitiae ?
Has poenas violatus amor perjura petebat
et data per magnos foedera caelicolas.
Obstitit alma Venus coeptis, et sanguine vestro
passa pias non est me scelerare manus.
Dum tamen accedo, pariter fugistis in aedes,
et posita increpuit janua clausa sera.
At mihi pulsanti, teque, impia, saepe vocanti,
nox est in multis pervigilata malis.
Haec toties promissa fides ? Haec illa tuendae
quam mihi jactabas, cura pudicitiae ?

Jurasti quoties nil me tibi carius esse,
atque oculis semper praeposuisse tuis !
Nunc ego fallaces lacrimas, nunc, improba, novi,
cur toties de me conquererere prius.
Nunc ego nocturnae memini discrimina rixae,
queis tua luxuries maxima causa fuit.
Quid faceres, mea si Tithonia cogeret aetas
frigida languenti membra jacere situ ?
Vel quam te nobis pavidamque, rudemque solebas
fingere, nec clausas posse aperire fores ?
Torqueor, atque diu servisse fideliter uni
paenitet ; at posthac non mihi verba dabis.
Sed monimenta tuae levitatis acerba perosus
subducam turpi libera colla jugo ;
et quaecumque tibi cecinerunt carmina laudes
immeritae, rapidis ignibus illa dabo.
Atque, aliquid quoniam mihi semper amare necesse est,
succedet regnis culta puella tuis.
Digna erit illa meo fieri celeberrima versu,
huic omni vivam tempore carus ego.
Illic haerentem frustra revocabis amicum
atque meam quaeres ipsa relicta fidem.
Nec te jam poterit quisquam sperare fidelem,
cum vulgata tuae sit nota perfidiae.
Quis locus, o demens, nostri non plenus amoris ?
Anthia quis nescit cujus amica fuit ?
Posse putas alium fastus perferre tumentes ?
Cui tantum post haec cara futura viro es ?
Quis canet hanc faciem, quam, cum foret oblita fucis,
praeposui nivibus, purpureisque rosis ?
Quae, nisi cum nostra periissent lumina mente,
tunc penitus fuerat despicienda mihi.
Nunc licet invenias, qui non tibi credere nolit,
nemo meam vincet longo in amore fidem.
Haec tu debueras nugis praeponere et auro,
in te aliquid rectae si rationis erat ;
si neque nequitia, nec avarae crimine mentis
impulsa, hac malles nobilis esse nota.
At, mihi crede, pios respectant numina amantes ;
justa nec incassum fundere vota sinunt.
Tempus erit, cum te pigeat solvisse carinam,
et levia incertis vela dedisse notis.
Nec secura mane, superum si lentior ira est,
faenore tarda gravi poena venire solet.
Tu quoque, fortuna qui nunc meliore triumphas,
aemule, disce meo cautior esse malo.
Atque tibi haec eadem speres contingere posse,
cum perjura semel, ruperit illa fidem.

AD HIERONYMUM CASTELLUM DE ABBATE QUODAM SIBI INDULGENTE.
CARMEN EX TEMPORE CORAM HIERONYMO CASTELLO EDITUM DE ABBATE QUODAM EPICUREO

E4_25 Quid mecum tacitus mediter, Castelle, rogasti :
abbatem hunc vitae non rudis esse reor.
Nec tu crede mihi, rubicundos aspice vultus,
et tumidi pinguem ventris aqualiculum.
Ille boves macras et Brigantinia musta
odit, nec totos vult vigilare dies ;
illius in turdis sermo versatur et offis ;
Gnosiaco spumant livida labra mero.
Si prodire decem parat extra limina passus,
nec jejunus abit, nec pede carpit iter.
Quod Bacchus, lautaeque dapes, atque otia suadent,
id sequitur, saturi provida cura patris ;
si virtus, et opes ; si gloria moribus istis
quaeritur, hac caelum si datur ire via,
ipse quoque optarim positis, Hieronyme, curis
molliter in tali vivere luxuria.

AD CLARUM VIRUM HIERONYMUM CASTELLUM AMICUM OPTIMUM

E4_26 Accipe nectareos, dulcis Castelle, liquores
qui tibi sint primae pocula grata siti ;
non haec Picenis in collibus uva pependit,
in patulos fluxit quae mihi pressa lacus ;
non Tuscis innata jugis, tergove Falerni est
Massica non illam, Cressave terra tulit,
manavit suavis patriis de vitibus humor,
his poni jussit quas mea cura locis.
Ad quae, si qua tibi tristes dant otia turbae
aegrorum, nostri ductus amore veni.
Haec loca, si memini, cunctis praeferre solebas,
dicebas ipsos hic habitare deos :
nil mutata loci facies, iidemque penates
nunc sunt, mens eadem, quae fuit ante, mihi est.
Quod, nisi legitimis causis retineris in urbe,
ex animo credam me cecidisse tuo.

AD LUDOVICUM SANTAGNETUM

E4_27 Rumor ait nostros te Stomyle carpere versus
et damnare tuo plurima judicio.
Non equidem indignor si libertate loquendi
uteris et quae sunt crimine digna notas.
Namque meos fateor reprendi posse libellos,
queis nullus certa quaeritur arte nitor.

Quos mihi nec studium, ratio nec contulit ulla
   ut mera simplicitas, nudaque verba sonant.
Scitis enim raro studiis me accedere vestris,
   Pallade nec minus est grata Diana mihi.
Me juvat a magna positum procul urbe morari
   nunc pedes incedo, nunc vehor altus equo ;
et modo per campos lepores cane venor apertos,
   proxima Threicio quem tulit ora mari.
Et modo, quae stagnis degunt, falcone volucres
   insequor, et variis distrahor aucupiis.
Interdumque Padi sinuoso in flumine piscor
   meque levis magno gurgite cymba vehit.
Curaque nonnumquam numeroso impenditur horto
   et varia malos inserere arte juvat
Sed tamen haec inter, fugiam licet, ocia novit
   nescio quo pacto serpere blandus amor.
Hic mihi, quas possem dominam mollire per artes
   monstravit, teneros proposuitque modos.
Quod mihi tentanti quamvis prodesse viderem
   et scirem multos scripta probare mea,
non tamen auctori penitus placuere, nec umquam
   me duxi magnis vatibus esse parem.
Sat mihi, cum musis si non durissimus esse
   dicor et in lusu gratia si qua meo est.
Non igitur mirum, si te offendere disertum
   carmina, non ullo facta magisterio.
Quod tamen his vitii tribuas, cultissime vates,
   optarem verbis certior esse tuis ;
quid tibi vel placeat, vel contra, quid sit in illis
   tollere quod jubeas, quae toleranda putes.
Ille ego sum, qui me patiar, cupiamque moneri
   et facile alterius qui benedicta probem,
quem pudet obnixe errorem, vitiumque tueri
   veraque amicorum spernere judicia.
Quod si te ostendas aliqua ratione moveri,
   cedo libens monitis, et meliora sequor.
Sin renuis, tacitusque sedes, indoctus haberi
   nec minus inconstans, invidulusque potes.

## AD MAZONUM, LAUDANS VENETIAS AC ADMONENS NE FALLACI ARTI QUAM DICUNT ALCHIMIAM INCUMBAT AMPLIUS

E4_28 Dum vagus Adriacis, Mazone, paludibus erras,
   clarum ubi Tyrrhenae floruit urbis opus,
cura tibi est veteres sub aqua spectare ruinas,
   cernere et annoso fracta sepulchra situ.
Nunc libet undivagos demissis fallere pisces
   retibus, et parvae nunc dare vela rati,
et nunc indigenis prisci referentibus acta
   temporis, a senibus quaerere multa juvat.

Diluvii quae causa fuit, num casus, an illud
excidium genti bella tulere suae.
Quo sub rege gravis moles oppressit aquarum
hinc nostro nomen quae dedit ora mari.
Hinc te fama refert Venetam contendere ad urbem
scrutantem ingenio plurima digna tuo.
Per geminas licet ire vias, patet una per altum
at per stagnantes altera ducit aquas.
Si citius tranare cupis, fornacibus exi,
fac modo, tranquillo pax sit ut alta mari.
Longum iter, at tutum per inertes ire lacunas,
cum trucibus ventis horrida saevit hiems ;
hac sinuosa leges piscosi claustra Loreti ;
ante tuos oculos mox nova turris erit.
Clodia te excipiet, Bebiis post terga relictis,
dives inexhausti Clodia longa salis :
portus ad auroram vergens sinuatur in arcum,
turris ubi augustis imminet alta fretis.
Hic perhibent magnis certatum classibus olim
nullaque jam Veneti spes erat imperii ;
at Ligur Adriaca sperans de gente triumphum
caeruleas proprio sanguine tinxit aquas.
Inde Palaestinae tua radet littora puppis
et spirante noto continuabis iter,
perveniens ubi se tumidum Mathemaucus in aequor
porrigit et vasta mole repellit aquas ;
haud procul hinc humilem praeterlabere Poviam
defessis olim navibus hospitium.
Tum magnae a laeva sese offeret aemula Romae
urbs, legem quae tot gentibus una dedit.
Quicquid alit tellus, quicquid mare, cernitur illic ;
imperium dices hic locus orbis habet ;
illic fundatas mediis mirabere in undis
altaque marmoreas surgere ad astra domos.
Templa Deum gemmis, varioque nitentia cultu,
egregia decorat plurimus arte labor.
Palla sed in primis Marci pretiosa beati
Italiae cunctas unica vincit opes.
Quattuor auratos in templi vertice summo
artis opus mirae stare videbis equos.
Spiritus et veri species, Mazone, coloris
deficiunt ; nemo caetera viva neget.
Tot proceres, tantum populi spectabis, ut illuc
humanum credas omne coisse genus.
Regibus e multis illum constare senatum
qui negat, hic sensu judicioque caret.
Per freta mille simul cymbas volitare videbis,
remigio celeri quas Scytha fortis agit.
Montibus aequandas naves, longasque triremes
immensum latis vix capit aequor aquis.
Torcellum aspicies, nec non Murania tempe
atque suburbanis sparsa vireta locis.

Singula praetereo, quae si nunc dicere pergam,
diffusum mundi fingere coner opus.
Sed tamen haec summa est : virtutem, animosque virorum
fortunae dotes exsuperare suae.
Hactenus ista probo ; sed non ita caetera, nam te
Illyricas gentes visere velle ferunt.
An tibi sunt tanti scopulosae littora Polae ?
Semper et Arctoa Signia cincta nive ?
Num formidandum ratibus vidisse Ceraunum
sic juvat et rigida saxa revulsa Paro,
ut mare contemnas, ut nos fugiamur amici
et cum longaevo tota parente domus ?
Ludorum ut pompa careas, festoque paratu,
aurea cum celeri praemia dantur equo ?
Ut Ducis aspectu nusquam revocere sereno,
quem Scytha, quem Libycus Maurus et Indus amant ?
Follibus illa suis loca, Mercurioque necando,
quam latebras catulae num magis apta putas ?
Falleris, ad Meroen satius properare fuisset,
namque opera assidui vestra coloris egent.
Quod si judicium, Mazone, requiris amici,
nec tibi nec cuiquam, quod petis, eveniet.
Sed cinis et fumus, pulvis, suspiria, verba
sunt aerumnosi lucra magisterii.
Esse potest, ut forte tuus labor utile quicquam
post varios casus eruat inde tibi ;
sed nec tantus honor, nec tanta est copia lucri
talibus in curis tempus ut omne teras.
Diversum interea procul a regionibus istis
me Quartisanae dulcia rura tenent.
Dulcia rura, quibus favet indulgentia Divum
et quae nullius commoditatis egent.
Namque ferax regio caelum sortita salubre
haud procul a nostrae moenibus urbis abest.
Seu pede, sive levi cymba juvat ire per undas,
dant iter hospitibus terra Padusque meis.
Adde vias certo directas limite passim
mollis ubi aestivum negligit umbra canem.
Haec loca Phoebus amat, nec sunt ingrata Lyaeo
et comes huc Cereri non negat ire Pales.
Hic bene respondet domini vindemia votis :
horrea deposcit fertile magna solum.
Hic pecori sua prata vides, hinc caseus exit,
quem premit artifici docta colona manu ;
hinc ovium fetus, hinc magnam portat in urbem
haedorum teneros rustica turba greges.
Hinc etiam alituum quas cura domestica nutrit,
mittitur arguto copia magna foro.
Sunt hominum varios horti quos cernis ad usus
qui speciem prae se, divitiasque ferunt.
Inde viro gratas epulas parat arva colenti,
deposita conjux officiosa colo ;

inde legunt flores, nitidaque in veste puellae,
festa coronata compita fronte petunt.
Hic quibus invideant cultores fertilis Hyblae
grata ferunt liquidi munera mellis apes.
Nulla est aucupiis, nulla est venatibus ora
aptior, hanc mediam proxima rura tenent.
At mea, quae sumptu non parvo condita villa est,
haud ulli merito displicuisse potest.
Hac quoque largus opum, cum multa et magna dedisset,
donavit fratrem Borsius ipse meum.
Plurimus hic liber est ; nec equi, nec magna canum vis,
nec desunt comites, accipitresve mihi ;
simplicibus quod si juvat allusisse puellis,
centum formosas lux tibi festa dabit.
Hic neque sacrilegos Vulcani Juppiter ignes
nec cum sole Venus, Mercuriusve timent.
Toxica nec flammis coquimus, nec prodigus iste
nos male tentata decipit arte labor.
At secura quies agitur ; nec fraude, nec armis
proxima vicinus dives in arva ruit :
ergo pari studio mecum si vivere curas,
huc ades et nostris utere amice bonis.

## AD COSIMUM PICTOREM.
## AD ANTHIAM, QUOD STULTA ADMODUM ET INEPTA SIT, QUAE FACIEM SUAM IN TABELLA DEPINGI TANTOPERE DESIDERET

E4_29

Ecce novis Helene consumitur anxia curis
vultque tua pingi, Cosme perite ; manu,
scilicet in longos, ut nobilis exeat annos
et clarum egregia nomen ab arte ferat.
Sed dum consultat quae tantis commoda rebus
tempora, quos habitus induat, annus abit.
Ver modo laudatur, modo dicitur aptior aestas ;
nunc placet autumnus, nuncque probatur hiems.
Nunc cupit externis pingi velata capillos
cultibus, et nuda nunc libet esse coma.
Dumque diem, et varios alternat inepta paratus,
quod cupit, in longas protrahit usque moras.
Quid tibi vis ? Quid stulta paras ? An forte vereris
ne levitas populo nota sit ista satis ?
Tales totque tibi cum sint in corpore mendae,
formae pictorem quaeris habere tuae ?
Quod si cura novae te tangit imaginis et si
spectari a sera posteritate cupis,
edita, quae populus de te modo carmina legit
illa tuos mores, effigiemque tenent :
illa tibi poterunt pallorem afferre legenti,
si tener impuro fugit ab ore pudor :
forsan et arte mea, longum transmissa per aevum,
altera venturo tempore Thais eris.

## AD ANTHIAM QUOD EIUS PERFIDIAM DEPREHENDERIT QUODQUE AB EIUSDEM AMORE PENITUS SE ALIENAVERIT

E4_30

Quid me composito nequicquam, pessima, vultu
conaris veteri reddere servitio ?
Nam mihi promittis fallaci plurima nutu ;
ast ego dedidici credulus esse nimis.
Crede mihi : non sum, quem post haec fallere possis,
sed fugiam cauto retia nota pede ;
nec veluti canis ad vomitum mox ipse redibo :
exclusum foribus me semel esse sat est.
Te teneat solus, tecum tuus iste Cupido
regnet, et arbitrio te regat usque suo.
Ille tuis leges imponat amoribus unus
et vigil observet singula facta tua.
Si tamen amborum levitas incognita non est,
haud stabit longo tempore vester amor.
Nam neque tu poteris uno contenta manere,
nequitiam et fastus nec feret ille tuos.
Adde quod annorum et primae bona gratia formae
decidit, atque aetas sex tua lustra videt,
et tibi corrupti nimio medicamine crines,
ut folia, autumno jam veniente, cadunt.
Non solito fulgore micant ardentia quondam
lumina, non idem permanet oris honos.
Nec minus infecit dentes color ater eburnos
et reliqui, amissis quattuor, usque dolent.
Quaeritur unde illis mutatio tanta repente
facta sit, at fuci causa fuere tui.
Nec potes infelix damnum celare pudendum
et frangis blaeso singula verba sono.
Turget ab ingrato pingui tibi corpus ineptum
vixque vales tardos lenta movere pedes,
qualis anhela gravi mendicat Toccia passu,
dum pro nubenti Virgine dona petit.
Plurima sunt etiam, quae si numerare laborem,
longa nimis de te surgeret historia.
Ista tuo Paridi fastidia, crede, movebunt ;
ignis hic incipiet frigidus esse cinis.
Namque vaga exhaustis quamvis tibi Grimma tabernis
succorum tota quicquid in urbe, ferat,
pluraque quam Circe, quam Colchis gramina miscens
incedas, vario picta colore genas,
non tamen efficies, te sic mirentur ut olim,
carmine cum primum es nobilitata meo.
Una prius vulgi cum pars ignota fuisses,
coepisti insignis laudibus esse meis.
Et nisi jam malles vitiis corrumpere, si quid
in te contulerant arsve, Deusve boni,
nulla dies poterat nostros dissolvere amores,
prima mihi fueras, ultima cura fores.

Nunc, ubi contempti ratio te nulla pudoris
nec mea cum longo tardat amore fides,
ut violenta ruunt abruptis flumina ripis ;
sic te praecipitem turpia vota ferant.
Sed graviter tua me licet inconstantia laedat,
perfida, non hostis, non tibi amicus ero.
Libera vindictae quin si mihi copia detur,
nil me ultore mali, nil habitura boni es.
Quod si non aliam pateris pro crimine poenam,
mens infert gravius conscia supplicium.
Te non illa dies, te non requiescere noctes,
accedant quamvis prospera multa, sinet ;
illa tibi ante oculos perjuria mille reponet
mille tuas artes, multiplicesque dolos.
Et referet, quam nunc distet tua forma priori
quamque tui similis non videare tibi,
quae tua sit levitas et quanta superbia pectus
impleat et quantum sit tibi nequitiae.
Curas illa meas verumque ostendet amorem
fidaque tam longi temporis obsequia.
Tum quicquid pro te vel dixi, ingrata, vel egi
propones animo sola relicta tuo :
nam vitiis novus iste tuis offensus amator
quam facile incepit, tam cito deficiet.
At cum risus eris populo, cum fabula fies,
tristis ego in multis millibus unus ero.
Non quod iniqua mei fortuna occurrat amoris
aut mihi jacturae sors sit acerba meae,
sed quia tale nihil sperans de te, improba, quondam,
judicio incautus fallor ab ipse meo.
Non tamen aut ista capior nunc primus ab arte,
fraudibus aut vestris nunc ego finis ero.
Multus passus idem est, et idem patietur amator,
pluraque quae nostris sunt graviora malis.
At tu infamis eris, turpique notabere culpa,
transfixa aeternis undique judiciis.
Neu patiare diu convicia tanta superstes,
illa tibi exemplum nobile Myrrha dedit.

# *LIBER QUINTUS*

## AD PIUM SECUNDUM PONTIFICEM SUMMUM IN ADVENTU EIUS FERRARIAM COMMENDATIO QUOD BELLUM ADVERSUS TURCOS MEDITETUR

E5_1

Deseruit solito formosior aequora Titan,
   illuxit votis mille petita dies,
qua tu, Romanae sedis moderator et orbis,
   cui dedit omnipotens sceptra verenda Pater,
dirigeres nostras iter exspectatus ad oras
   et Borsi intrares hospita tecta ducis.
Quid potuit laetae contingere gratius urbi,
   quidve tuo majus numine terra dare ?
Nil ultra cupimus, nil, te praesente, veremur,
   dum sacra Pontificis cernimus ora Pii,
quem propriis ultro tendentem laudibus, ipsi
   novimus Augustum hunc promeruisse locum.
Haesit ubi numeros tua gloria ducta per omnes
   ulterius nihil est quo ferat illa gradum.
Ipse licet maneas tantarum in culmine rerum
   nostraque te exsultet Principe relligio,
non tamen humanos praeclara modestia mores
   exuit, et nulli est mitius ingenium.
Ergo non alio fas est te nomine dici
   quam tua quo pietas nota sit, atque fides.
Justitiamne prius mirer, sanctissime praesul,
   an memorem largas ad pia dona manus ?
Quid tua quas habeat vires facundia, dicam ?
   Quantaque de docto pectore vena fluat ?
Te non ulla latent clarorum scripta virorum,
   nulla sacrae series te fugit historiae.
Nec tua contemnit generosos cura poetas
   quos divinae aliquid mentis habere ferunt.
Tale sed ipse facis, vatum doctissime, carmen,
   quale canit sumpta Delius ipse lyra.
Quod si festa sacros poscunt altaria ritus,
   debitus et Superis concelebratur honos,
cernimus augusta te majestate sedentem,
   cui tegit albentes sacra corona comas.
Inque tuo gravitas sedet ac reverentia vultu
   atque pios gestus pendula turba probat.
Alme Pater, salve ; salve, qui claudis et idem
   clavigera reseras regna beata manu.
Salve, quem colimus, quem credimus atque fatemur
   aetherii sanctas Regis habere vices,
Romanae sedi qui non minus addis honoris
   quam tibi contulerit Ponteficale decus.
Pastorem lacero cum te praefecit Ovili,

consuluit misero cura superna Gregi.
Ut taceam, Latiae quae sit tibi cura quietis
et per te patriis otia parta focis ;
utque Tarentinos, duce te, Roverella tumultus
sedarit jussis, consiliisque tuis ;
singula neu referam, quae tu recteque pieque
inter mortales numinis instar agis,
perfidus ecce Dei populos invasit Amyrras
et Scythicus nostro regnat in orbe furor.
Actum erat, instabat victor crudelis, erantque
omnia plena metus, omnia plena fugae.
Hunc Maometheas terris imponere leges
non sinis et tristes comprimis ipse minas.
Namque, ubi Pontificem Te barbara turba creatum
audiit, atque animos, propositumque tuum,
substitit in medio rerum conterrita cursu,
nominis et fama pene subacta tui est.
Improbe, quid te igitur facturum, Turca, putemus,
Romanum accipies cum vigilare Ducem ?
Jamque lacessitas animare in proelia gentes ?
Justaque in immites bella movere feras ?
Ecce tremit Rhodope, pavet imo conditus alveo
et revocat celeres impius Hebrus aquas.
Bellipotens Mavors jam Thracia regna reliquit
jam pro Romanis induit arma suis ;
jam virtute sua totum Pius excitat orbem ;
infelix, moneo, jam tibi, Turca, cave.
Nam tua, quae nostro langore ferocia crevit,
concidet, et Latias experiere manus.
Nos Pelopis regio amissa et Byzantia clades
admonuere tuae, perfide, saevitiae.
Nec solum nostris, scelerate, fugabere terris,
sed fugies patrios pulsus ad usque Getas,
vel Pius, immiti miles de gente triumphans,
injiciet capto ferrea vincla tibi.
Ite, duces, trepidum pia signa feramus in hostem,
dextera jam faustum concinit omen avis :
vicimus ; imbellis dat terga fugacia pubes,
sparsaque Amyreo sanguine fumat humus.
Haec tua, Pi, laus est, tua gloria ; teque parentem
auspiciis vocitat libera terra tuis.
Unus enim Scythicam miseris avertere pestem
gentibus, oblata commoditate, potes.
Nec te posse sat est, sed adest tibi certa voluntas,
idem etiam rectae non rationis eges.
Dum procul hostis abest, et adhuc sine fine supersunt
oppida, barbarica non violata manu,
degere secura potuisti tutus in urbe,
aetatique simul consuluisse tuae.
Sed gravis afflictae fidei te injuria movit ;
sollicitant animum nostra pericla tuum.
Anxius his stimulis Romanas deseris arces

et longum, infirmo corpore, carpis iter.
Non labor, aut imbres, objectave flumina, non te
Apenninicolae continuere nives.
Interea laetis clamoribus insonat aether
et tibi fert patrios obvia turba Deos.
Undique concurrunt, in te sua lumina pascunt
exoptat longos et tibi quisque dies.
Auguriis sibi quisque animum felicibus implet
et suscepta tuo nomine vota facit.
Unum omnes pariter te poscere fata loquuntur,
quo duce Turcarum stirps scelerata cadat.
Qua re age, et inceptum, Pater optime, perfice munus ;
et tibi commissas respice, Pastor, oves,
pro quibus innumeros quaeris, paterisque labores,
nec senio virtus ista premente jacet.
Nulla tuis poterit majorum gloria rebus
aequari, et cedent cuncta tropaea tibi.
Hic saevum Annibalem, fortesque subegit Iberos
ultus honoratae funera bina domus.
Hic domitis Asiae populis, victoque triumphat
Antiocho, et patrias strenuus auget opes.
Ille capit Persen, vinctum trahit ille Jugurtham
Cimbrorumque sua comprimit arte minas.
Conatus, Catilina, tuos hic fregit, at illi
egregium nomen Creta subacta dedit.
Ille vagum Cilicem, et Sertoria contudit arma
juraque Romani protulit imperii.
Orbe sub Arctoo bis quinos ille per annos
vicit et extremum subdidit Oceanum.
Alter, ubi terras simul et pacavit et aequor,
juncta suo meruit templa tenere Jovi.
Alter et Aurorae populos penetravit, et Indis
Pellaeum imposuit, victor ubique jugum.
Adde Pium Aenean, Alciden, Hectora, Achillem
et quoscumque canit Graecia magna duces.
Omnibus his celebrem virtus dedit inclyta famam
et gestae eximium res peperere decus.
Tu tamen hos superas, neque enim te ducit inanis
gloria, nec regni dira cupido tenet.
Verus honos, fidei studium venerabile nostrae
hoc te praeclarum sumere jussit onus.
Quod cupis, externae gentes novere probantque
et jungit socias Pannonis ora manus.
Hoc, Hispane ferox, et idem, Germania, sentis
nec tuus in tali tempore Caesar abest.
Gallia pacatis aderit comitata Britannis
et munita suis rupibus Illyria.
His comes Epiros veniet, Cyprosque, Rhodosque
et positae nostris insulae in aequoribus.
Pars quoque Threiciae gentis simul induet arma
inque tuum exitium, Turca superbe, ruet.
Quid loquar Italiae felicia regna potentis,

quam gravis in rabidos concitat ira canes ?
Hanc prius unanimem tua si sapientia reddet,
sub Latias venient ultima regna manus.
Tecum erit Alphonsi proles clarissima regis,
rex ipse, atque hominum millia multa dabit ;
Sforcius hinc heros premet, hinc Florentia tecum
stabit et auxilium proxima Sena feret ;
Sena, triumphales inter celeberrima terras,
felix Sena, Pii patria Pontificis.
Hinc Ligur, hinc Venetus terraque marique juvabunt,
ardor Arimineae nec minor urbis erit.
Magnanimusque ruet dirum Sismundus in hostem
et Malatesta suas junget amicus opes.
Hos, inimicitiis positis, Federice, sequeris,
Urbinumque manet gloria magna tuum.
Non Manfreda domus, nec opem Gonzaga negabit
Mantua, nec forti subdita terra Pino.
Adde alias urbes, opibusque virisque potentes,
quosque tua populos sub ditione tenes.
Agmina longa Ducum felicia castra sequentur
et tingent rubra candida signa cruce.
Hos inter, venerande Parens, Dux Borsius ibit ;
Borsius, Ausonii spesque decusque soli.
Borsius, Italicae pacis servator et autor,
Romanae verus Religionis amor.
Ille tibi fidus studio, tibi deditus omni
seque suumque libens obtulit imperium.
Qui genus omne hominum, quamvis bene multa merendo
ingeniique sui dexteritate liget,
te tamen in primis unum colit, atque fatetur
se debere Pio plurima Pontifici.
Hoc tua majestas, et vincula sanguinis, et qua
excellis virtus fasque piumque petunt.
Illius ecce potes gratam cognoscere mentem,
illius insignem cernere laetitiam
hi quoscumque vides nullo de more paratus,
et passim stratis haec nova forma viis,
haec hominum quaecumque tibi fuit obvia turba,
adventum excepit quae modo pompa tuum,
omnia magnanimi Ducis haec testantur amorem
in te quem ex omni crescere parte vides.
Maxima quae si quis, (nam sunt ea maxima) ducit,
ipse putat meritis inferiora tuis.
Hunc talem, tantumque, Pater mitissime, Regem
qui tibi non ficto pectore servit, ama ;
quem benefacta patrum, et proprio quaesita labore
commendat fidei gloria summa tuae.
Quicquid opum per te quodcumque parabit honoris
protinus accedet rebus id omne tuis.
Non apud immemorem stabunt tua facta, nec ulli
concedet magnis Borsius officiis.
Hunc igitur bonus et cognatam respice gentem

Estensemque domum, Ferrariamque tuam.
Vive diu felix, Superi tua vota secundent,
ut subeat Latium barbara terra jugum.

## IRATA PUELLA AMATORI SUO OB CONVICIA IN SE IACTATA, QUOD EUM DESERTURA SIT MINATUR

E5_2

Ecquis erit saevi finis, mens anxia luctus ?
Tristis an aeterni plena doloris eris ?
Semper an in lacrimis miseri versabimur iisdem
et nullum inveniet longa querela modum ?
Num mihi placandi superest spes ulla furoris,
an magis illa meis crescet acerba malis ?
Summissus quoties veniam supplexque rogavi,
siquid liberius dicere visus eram ?
Nam, si non penitus culpa caret ausa puellae
suspectam immerito lingua notare fidem,
qui mihi surripuit sensus et talia jussit
credere, praecipuum crimen amoris erat.
Fac tamen impulerit nos huc temerarius error
verbaque non sani pectoris exciderint :
has meruit poenas meus immutabilis ardor ?
Et quae spectata est per duo lustra fides ?
Maenadas his potuit precibus placare furentes
et magnum Pentheus conciliare Deum ;
victa nec infandos torrem misisset in ignes,
laturum nato tristia fata parens.
Ipsa immota tamen perstat, velut aspera cautes
quae maris assiduas negligit alta minas.
Perstat et immitis mea laeto incendia vultu
spectat, in exitium scilicet orta meum.
Quis tam formosam, tam duram credere posset ?
Sic ne immortales concitat ira Deas ?
Me miserum ! toties gelidus praecordia sanguis
circuit, et toto corpore vita fugit,
illius quoties cogor meminisse furoris,
cum formidatae frontis imago subit.
Nam modo vix dignata meos audire labores,
rettulit haec tristi verba superba sono :
Si mens sana tibi, vel si pudor ullus inesset,
debueras oculis te eripuisse meis.
An me Lethaeo perfusam gurgite demens
credis ? Et oblitam tot maledicta simul ?
Si tamen admisi quicquam, si justa querelae
in me causa tibi est, si mea laesa fides,
hos male devoveat sonti mihi lingua capillos
atque haec amissa lumina luce cadant.
Vel si te gravior crudelem poena juvabit,
devorer a saevis ipsa relicta feris.
Quid mirare meo vidisse in limine quemquam,

si pater assiduis non caret hospitibus ;
cum vaga servorum manus huc, illucque recurset,
sitque ancillarum plurima turba domi ?
Non tamen haec refero, quo nostri rursus amoris
firmior insideat, perfide, cura tibi ;
nec desertorem cupiam quod rursus amare ;
sed me ne tacitam crimina tanta premant.
Haud inopes adeo mentis sumus ut tua nobis
perfida non liceat noscere consilia.
Tu levior pennis atque inconstantior aura,
populeas vincis mobilitate comas.
Inque novos properas saltus, veteresque relinquis
quodque doles fieri, turpiter ipse facis.
Foedera perjurus sed si violare parabas,
ut sic culparer, non ego digna fui.
Quod si commisso securus crimine gaudes,
facta tamen vindex punit iniqua Deus.
Nunc fictos alio gemitus, simulataque verba
transfer, jam parta est altera amica tibi :
digna erit illa tuo fieri celeberrima versu,
cui felix omni tempore carus eris.
At mea non adeo facies mutata senecta est,
omnibus ut videar despicienda procis ;
et si fata jubent ut amem, non me tua posthac
decipiet solitis improba lingua dolis.
Quam cuperem nostri tibi nil placuisse, nec umquam
me facilem votis exhibuisse tuis !
Illa ego tam penitus aboleri, perfide, vellem
quam facile ex animo laberis ipse meo.
Me lacrimae et ficti vultus cepere, tuisque
fraudibus elusa est credula simplicitas.
Vos natura malos levibus non aequa puellis
instruxit variis artibus atque dolis.
Phyllida Demophoon, et Colchida lusit Iason ;
flevit ad ultores sola Ariadna Deos.
Ardebat Circe, flagrabat amore Calypso,
utraque Dulichiam vidit abire ratem.
Ille etiam, sua quem pietas ad sidera tollit,
ingratus Libycum prodidit hospitium.
Talibus exemplis, et quae super addere possem,
ad mea debueram cautior esse mala.
Sed vetuit fati non evitabilis ordo
et rata fortunae sors erat illa meae.
Quaelibet istarum potuit defendere culpam,
vivere raptoris nomine tuta sui :
me neque semideos, nec praemia magna secutam
dicent, aut fortis bellica facta viri,
sed levibus nugis tribuisse libentius aures,
carmine dum celebrem me juvat esse tuo.
Haec mihi grata fuit quondam, (nec vera negabo)
gloria, dum nobis verus amicus eras.
Nunc tua me quoniam ventosa superbia temnit,

damnat et infamis pagina plena notae,
te simul, atque tuos certum est odisse libellos,
e quibus ut tollas nomina nostra velim,
ut satis ipse tibi facias, quod saepe minaris
tamquam ego sim magna nobilis Iliade.
Et mea ne pateat magis imprudentia, si te
in primis talem semper amasse legar,
accipe, quae dederas meliori tempore dona,
dum tibi sollicito maxima cura fui.
Haec mihi tu quondam invitae conferre solebas,
nunc tibi sum vilis, nunc et avara vocor.
Scis tamen a nobis hoc crimen abesse, nec unquam
porrexi cupidas in tua damna manus.
Scis etiam quoties Eriphyles munere captae
impia damnarim facta latente viro.
Nec minus ut juvenum precibus, pretioque repugnans
praetulerim multis, qui male dignus erat.
Non magis infelix Thysbe dilexit amantem,
nec magis Evadne commoritura virum,
Quam mihi carus eras, veri cum signa caloris
mutatusque color, blandaque verba dabant.
Tum quoque si pro te jussisses ponere vitam,
nullum fugissem mortis adire genus.
Nunc tamen inconstans, impura et perfida dicor
et sonat ante meas plurima rixa fores.
Deprensamque Venus manifesto in crimine servat,
et mea non ulli janua clausa viro est.
Sic votis numquam potiaris, ut omnia fingis
hac ut parte meus stat sine labe pudor.
Atque utinam de me ulterius nihil ipse tulisses,
Anthia ne populo fabula nota foret.
Sed quid plura juvat levibus jactare querelis ?
Illa ego sum rea quae te modo teste fui.
I procul, atque aliam meliorem quaere puellam,
nullaque dehinc mecum sint tibi colloquia.
Dixit et invitis lacrimis roravit ocellos,
fugit et averso mox inimica gradu.
Saepius et quamvis summissa voce rogarem,
haud facta est precibus mitior illa meis.
Heu quid agam ? Quo me vertam ? Quae spes mihi restat ?
Quidve paras, tantis mens agitata malis ?
Audax o nimium, et nimium temeraria lingua
et semper domino perniciosa tuo,
numquam igitur disces freno parere ? Nec umquam
verborum fervens impetus iste cadet ?
Heu tua me quoties furibunda insania laesit,
te propter quoties tristior illa fuit ?
Vera licet fuerint, quae nondum certa tenebas,
an tibi magnus erat conticuisse labor ?
Hoc nostras facere, et veteres fecisse puellas
qui neget, haud sanae mentis habendus erit.
Aut culpa caret, aut peccasse impune licebit,

cum similes lusus mille referre queat.
Quid tamen absolvi dominam me judice prodest
et refuga ad solitum colla referre jugum ?
Omnia sunt frustra, miserum namque odit amantem :
oderit ipsa licet, cogor amare tamen.
Quod si nec caelum, nec amaro terra dolori
subvenit et praeceps fert mea verba notus,
praestat, ut indomitos mors finiat una labores,
quam toties illa non miserante mori.
Aude igitur : manibus propriis accersere fata
et multa infelix effuge, Tite, mala ;
audiat exstinctum primo crudelis in aevo,
seque tuae causam noverit esse necis ;
elatumque toro specula prospectet ab alta,
cum tristes lacrimas funera turba dabit.
Illic indigno transfixum vulnere cernat,
squallentemque comam, pallidaque ora notet.
Forsitan ex imo suspiria pectore ducet
tristis, et ex oculis lucida gutta cadet.
Tunc jucunda tibi, si quid vaga sentiet umbra,
mors erit, et grata sorte fruere magis.
Sed potius dura, et fortunam vince ferendo :
fortiter est virtus aspera quaeque pati.
Sume animos, dominamque trucem lenire precando
ne dubita, atque iterum mox iterumque roga.
Corda puellarum subitas impellit in iras
causa levis, parva conciliatque mora.
Ecce favent dictis, plausumque dedere columbae,
haud frustra est : pacis dat bona signa Venus.

## AD HIERONYMUNI CASTELLUM MEDICUM, MEMORANS CUM PLURIMA, TUM STROZIAE DOMUS CLARISSIMOS VIROS ET PACE ET BELLO

E5_3

Caerula jam roseo vehitur super aequora curru
ignea producto quae fugat astra die,
principiumque refert anni, celebresque calendas
quae nomen servant, Jane vetuste, tuum.
Admiranda quibus magni mysteria regis
nostra colit vera relligione fides.
Jam vaga discurrens puerorum turba per urbem
annua porrecta flagitat aera manu.
Nec minus incipiunt variis prodire puellae
cultibus atque omni quaeritur arte decor.
Illa gradum profert Tyrio spectabilis ostro,
cui premit ornatas lucida gemma comas ;
candidaque aurata circumdat colla catena
quae leviter niveos verberat apta sinus.
Illa gerit virides habitus, haec induit albos ;
huic fluit ad rutilos aurea palla pedes ;
pars ferrugineo, nigro pars gaudet amictu,

et nullus festa cessat in urbe color.
Interea gravibus juvenum manus anxia curis
huc illuc trepidum fertque referque pedem :
hic dominae lento sequitur vestigia passu,
plurimaque incoeptum causa moratur iter ;
ille per anfractus notae regionis amicam
praeterit, atque alia est obvius inde via.
Hic coram alloquitur tenero sermone puellam,
fingit et ad comitem vertere verba suum
hic oculis, alter suspirans indicat ignem,
alter compositis dat sua signa notis.
Ancillam furtim solemnibus ille calendis
convenit, ac dominae munera ferre jubet ;
et tremulum mittit quod crinibus inserat aurum,
quod levis afflatu ventilet aura suo ;
ille dat Eoa lectos de merce lapillos,
ille dat Arabia stamina texta manu ;
hic donat quicquid solers Etruria misit ;
hic quicquid tellus Parthenopaea tulit ;
alter, ubi instituit quo munere donet amicam,
nuntia fit mentis littera blanda suae.
Nec juvenum quisquam tota nunc segnis in urbe
in quorum captis mentibus haeret amor.
Me puer iste diu curis exercuit iisdem,
Castelle, et studium par fuit ante mihi.
Ille rudem primo castrorum in parte recepit
post etiam experto signa ferenda dedit.
Septimus a decimo cum jam succederet annus,
signaret teneras cum mihi barba genas.
Hic noctes totosque dies consumpsimus, hinc se
gaudia nostra, dolor, spesque timorque dabant.
Nec deerat cui, luce sacra, mea dona dicarem
et, sua quae nobis mittere vellet, erat.
Illa sibi fidum quoniam crudelis amantem
prodidit, illa mei finis amoris erit.
At non parva mihi restant solatia, de me
quod nullo poterit perfida jure queri.
Sic modo felicem placidis Amor extulit alis,
tangeret ut magnos gloria nostra Deos.
Et modo per casus miserum jactavit acerbos
praecipitemque suae misit ad ima rotae.
Atque adeo nil dulce suum mihi praebuit unquam,
maxima quin fellis copia mixta foret.
Quid grave servitium, quid summa pericula narrem ?
Quid dominae nimia de levitate querar ?
Perfidiamne prius damnem, moresve sinistros,
aut mala, quae demens per duo lustra tuli ?
Vix quondam ultrices tenuit mora tanta carinas,
cum cecidit Graia Dardana Troja manu.
Me tamen haud ulli poterant avertere casus,
fidave amicorum flectere consilia ;
nam rectos animi sensus, dum blanda voluptas

vicit, erant oculis haec aliena meis.
Nec puduit levibus tantum persistere coeptis,
multa mihi licuit dum meliora sequi,
cum justis animum stimulis accendere posset
sanguine ab Etrusco Strozia ducta domus,
non obscura quidem, nec aviti nominis expers,
et quae non patriae nobilitate caret.
Illa nec antiquis opibus, nec prole virorum
indiget ut numero sit populosa suo.
Et seu facta juvat bello, seu pace referre,
non contemnendos gens tulit ista viros.
Justitiae vexilliferum, qui summus habetur
haec Florentino prima dedit populo,
tempore Athenarum quo Dux oppresserat urbem
servitio, et populos, nobilis Arne, tuos,
haec tunc immanem patribus conjuncta tyrannum
expulit, et tristes fortiter ulta minas.
Ferrariam turmis hostilibus undique cinctam
liberat hoc ipso sanguine natus eques.
Cujus ne merito fraudetur carmine nomen
Franciscum veteres hunc vocitastis avi.
Scilicet externis dominis servire nepotes
noluit, Estensis quos tegit umbra domus.
Nec Tiburtina propriis dominatus in urbe
Hannibal auspiciis praetereundus erit,
cui quondam magnae fama virtutis et aequi
jura sui populus detulit imperii :
hac genitum stirpe Ubertum modo Mantua vidit,
insignemque opibus consilioque virum.
Tu quoque, natorum felix grege, Carole, quondam
lumen eras patriae praecipuumque decus.
Hac genitor Nannes descendit origine, cujus
vitae conveniens exitus ille fuit.
Qui patriae ductor victorem reppulit hostem
obvius et proprio pectore clausit iter.
Qua toties tristi bellorum exercita fato,
jactat se campis Brixia fertilibus.
Quid, Marcelle, tuas versu sequar, optime, laudes ?
Et quos nunc etiam secula nostra vident ?
Hinc tibi Pallas adest, omni memorabilis aevo
quem genitum docta Pallade nemo neget,
lubrica quem numquam potuit fortuna movere,
sive adversa illi, sive secunda foret.
Heu qualem amisit discors Florentia civem !
Nunc veluti numen gens Patavina colit.
Fer tamen aequo animo, non hic tua crimina, Palla :
perculit illustres ista ruina viros.
Sic etiam magnum damnavit Roma Camillum,
sic et Aristides pulsus ab urbe sua.
Vos quoque dilecti referam mea limina fratres,
nec pudor his fuerit vos numerare viris.
Tuque licet tua Nicoleos nondum occupet ora

canities aevo nec graviore premat,
non te ita gessisti, non sic vixisse videris,
ut mens defuerit, consiliumve tibi.
Quid praefecturas et pubescentibus annis
tradita commemorem saepius imperia ?
Adde quod externas legatus missus ad urbes
non oneri fueris dedecorive tuis.
Audiit Alphonsus te rex hoc munus agentem,
vidit Romani curia pontificis.
Hinc gentes petis Etruscas, Venetumque senatum,
et quos nunc populos dicere longa mora est.
Ipse etiam Caesar titulo donavit equestri,
cum subiit laetae moenia Ferrariae,
magnanimus populo cum dux plaudente creatus
Borsius, et medio structa theatra foro.
Temporis illius, quis gaudia dicere possit ?
Cum canerent ipsum plebsque patresque ducem ?
Picta coronati proceres vexilla ferebant,
signaque gestabat plurimus alba puer.
Non vario nostri caruerunt flore capilli,
veraque prosiliit pectore laetitia ;
turba puellarum, speculis affixa domorum,
spectabat plenis agmina fusa viis.
Forsan et ex illis aliquam novus abstulit ardor,
mirantem Latios, Teutonicosque duces :
ipse invectus equo felicia vota suorum
et placida laetos excipit aure sonos ;
nec tamen humanos in tanto culmine mores
nostri majestas exuit illa Dei.
Deditus huic primis Laurentius haesit ab annis
et pacis fidus militiaeque comes.
Illius at Princeps morum candore probato,
immemor officii noluit esse sui.
Muneraque ampla dedit, summis et honoribus auxit,
dignatus socium rebus habere suis.
Nec matura ducis sprevit te cura, Roberte,
cum studium atque fidem nosceret ille tuam.
Praetereo quod sis (neque enim nova gloria nobis
venit) ab Hispano rege remissus eques.
Summa tibi laus est, quod prudentissimus heros
sic tua judicio comprobet acta suo,
duxerit ut dignum cui terras ipse regendas
indomitae vellet credere Flaminiae.
Hos inter super unus eram, quem clara moverent
nomina, quem laudum sollicitaret amor :
improbus irrisit meditantem magna Cupido,
struxit et occultas callidus insidias ;
incertaque leves sensus dum mente labarent,
se nova forma malis obtulit ominibus,
quae mihi non hominis quicquam (nisi vera negentur),
ast immortalem visa referre Deam.
Hac ego sum captus juvenis lentusque rudisque,

nec rigida saevi natus in urbe Getae :
illa meo victrix injecit vincula collo,
quae Venus e solido facta adamante dedit.
Vincula quae fessi decimo vix solvimus anno,
Error ubi misero pectore vanus abit.
Jam mihi mutandus vitae tenor ille prioris,
atque alios aetas flagitat ipsa modos :
saepe solet lapsos dolor ad meliora vocare
et mala nonnumquam causa fuere boni.
Inclyta ni Danai vastassent Pergama, numquam
condita Iuleo sanguine Roma foret ;
Pygmalionei sceleris commota furore
nobilis egregium femina struxit opus.
Ast ego fallacem toties expertus amicam
multaque perpessus quae meminisse pudet,
tandem femineas didici cognoscere fraudes,
casibus et coepi doctior esse meis.
Jamque novis animum studiis effingere nitar,
exempli ad monitus, consiliique tui :
namque semel satius quam numquam ad sana reverti
ponitur hic levibus meta suprema jocis.
Quod nisi praecipitem mea me fortuna tulisset,
ni sensus omnis eripuisset amor,
sollicitae poteras olim succurrere menti,
unus eras nostro tu medicina malo.
Nam quoties monitis sanare fidelibus aegrum
tentasti, et coepta me revocare via ?
Saepe etiam nostra memini te sorte dolentem
in gemitu lacrimas non tenuisse meo.
Sic neque cessabas urgens avertere fatum,
dum licuit dubiis tradere rebus opem.
Meque ubi prolapsum penitus gravis impulit error,
et miserum pressit certa ruina caput,
haud infelicem voluisti linquere amicum,
quaeque in te pietas debuit esse, fuit.
Ergo Scylla prius ; Scyllaeque adversa Charybdis
praebuerint fessis puppibus hospitium,
ante suo Nereus gelidas admiserit arctos
aequore, terra polus fiet, et ignis aqua ;
mutatae prius accipient nova corpora formae
quam nostro emigret pectore cura tui ;
quippe et amicitiae veteris te cogimur usu
et meritis in nos semper amare tuis.
Pluraque sunt etiam, quibus aspera flectere possis
pectora, et immites conciliare feras :
convenit ingenio jucundae gratia formae,
nobilitas animi nec latet illa tui.
Est in te probitas nullius conscia culpae,
qua tibi mortales allicis, atque Deos.
Quicquid et ingenui sentit mens plena vigoris,
exprimit ornatis lingua diserta modis.
Ipse etiam medica praefecit Delius arte,

restinxitque tuam Gorgonis unda sitim.
Scilicet humanas ut possis carmine mentes
corporaque auxiliis aegra juvare tuis,
non te praetereunt naturae arcana potentis,
non homini quicquid fas didicisse fuit ;
sed licet ingentis superet nova gloria laudes
et sublime tuum nomen ad astra ferat,
non tamen a recto sevecta modestia calle est,
seque intra metam continet illa suam :
sic te humili potuit virtus secernere vulgo,
et carum magnis reddere principibus.
Respicit in primis ducis indulgentia nostri,
et probat ingenium Borsius, atque fidem ;
teque sibi electum vitam cui crederet omnem,
prosequitur magnis non sine muneribus ;
nec tibi Dux tantum, quantum Ferraria debet
et populi, auspiciis quos regit ille suis.
Nam cunctos pariter, servato Principe, servas,
e cujus pendet nostra salute salus.
O ego quam felix talem sortitus amicum,
Itala cui multos non tulit ora pares !
Illum ego ni gratus studio complecterer omni,
quem gens Caucaseis rupibus orta colat,
et ferrum et silices, adamantaque vincere possem,
durus, et indomitis saevior esse feris.
At quoniam tuus e cunctis se partibus in nos
effundit longo tempore notus amor,
fortunamque meam, quaecumque erat illa, putasti
communem semper non minus esse tibi,
laetus eris, cum me meliori sorte videbis
non ulli addictum vivere servitio ;
quodque meo expulerint veteres de pectore curas,
sacra feres magnis debita numinibus.
Nunc ut prisca sequar soliti vestigia moris,
accipe solemni munera nostra die :
munera non gemmis ullis pretiosa nec auro,
nec quae Phidiacum nobilitarit ebur ;
sed quae Pegasides suaserunt mittere nymphae,
et Cirrhae Dominus, bisgenitusque puer :
ingratam his olim memini gaudere puellam,
cum legeret laudes illa superba suas :
his tu muneribus succedere dignior, haec sint
antiquae certum pignus amicitiae.
At tu, saeve puer, procul hinc cum matre recede,
et sine securos nos agitare dies :
non ego deserui tua castra, sed ipse relictus,
nunc vitae cogor consuluisse meae.

## AD HIERONYMUM CASTELLUM PHILOSOPHUM PRAESTANTISSIMUM ET AMICUM OPTIMUM

E5_4 Miraris nostrae diuturna silentia Musae,
atque intermissum carmen, amice, doles,
rurave cur potius teneam, procul urbe relicta,
gratave cur nobis sint loca sola, rogas,
atque leves cur sic videar tenuatus in auras,
risus et a vultu fugerit ille meo.
In primis cuperem numquam haec tibi cura fuisset,
tristitiam ut velles tu quoque nosse meam.
Ah ne quaere nimis duros audire labores,
et quaecumque pudor me reticere jubet.
Nam metuo, novus in lucem si venerit error,
ne levitas animi sit manifesta mei,
cum repetam rursus, quod frustra fortis, et asper
culpavi, mea dum ferveret ira nimis.
Cum tamen is tu sis, cui non minus omnia possem
quam mihi pro veteri credere amicitia,
occultum retegam tacito sub pectore vulnus,
nec grave conabor dissimulare malum.
Parce tamen, quaeso, male convenientia verbis
quae modo legisti, si mea facta vides.
Nam, mihi quae nuper fuerit sententia, nosti
dum mens austeri plena rigoris erat.
Tunc quae magnifico sum fortiter ore locutus,
illa ego nonnumquam dicta fuisse velim.
Et piget in dominam turpes jactasse querelas,
quae nunc fida meo, castaque judicio est.
Cur animum rapiat subita inconstantia quaeres :
urget amor, certa qui ratione caret ;
urget amor, qui saepe deos, hominesque fatigans,
immiti potuit subdere servitio.
Qui nos praecipue petit improbus et male perdit,
despecti vindex non levis imperii.
Ille male exstinctos iterum ferus excitat ignes ;
ille novis fixit pectora vulneribus.
Praesentisque mali species, extremaque vitae
conditio, ostendunt quam sit amarus amor.
Et mihi nunc demum videor sentire calores,
Sicelis ignifero quos alit Aetna jugo ;
quos neque sedarit glacies Rhiphaea, nec Hebrus,
nec Phaethontei flumina magna Padi.
Et quos, ut video, nulla umquam exstinxerit aetas,
ipse licet vivam secula mille senex.
Vos silvae testes et vos habitantia silvas
numina, qualis inest pectore flamma meo ;
scitis enim, solus dum lentis passibus erro,
quos edam gemitus, qualia verba loquar.
Illius ut nostro semper versetur in ore
incisum vestris nomen in arboribus.
Vos, homines, vos, Dei, nostros audistis amores

et Padus, et celeri proxima fossa Pado.
Ipsi jam pisces, ipsae mea tristia norunt
fata ferae, et mecum saepe queruntur aves.
His ego nunc pressus curis noctesque diesque
torqueor, oblitus Pieridum atque mei.
Conventusque hominum celebres, urbemque perosus,
frustra desertis perditus abdor agris,
et quocumque tuli gressum miser, usque latentem
invenit, et lateri sedulus haeret amor ;
haeret amor, qualem nulli experiuntur amantes,
et qualem nulli dicere fas fuerit.
Hinc graciles artus macies, pallentiaque ora
occupat, et rapidi turbinis instar agor,
et seu lux orbem retegit Phoebeia, sive
stellatum profert nox taciturna caput,
sollicito occurrit forma insidiosa puellae,
nec patitur somni, nec meminisse cibi.
Tunc ego sole magis nitidos admiror ocellos,
noster ubi posuit spicula mille Deus ;
extremo quorum lux eminus ardet in orbe,
quae facit, ut vivam dispereamque simul.
Illis quicquid habet praestans natura decoris,
quicquid jucundi, laetitiaeque dedit.
Tum longi subeunt crines, quos improba quondam
implicuit collo saepius illa meo ;
ipse ego quos felix variis ornare solebam,
floribus, et propria pectere saepe manu.
Gratia formosi subit oris, eburnaque cervix
et nivibus puris anteferenda manus,
qua natura nihil, nihil ars formosius umquam
effinxit, roseis quae nitet articulis.
Occurrunt agiles motus et candida membra,
grataque proceri corporis effigies.
Me tamen hoc unum stimulis exercet amaris,
quod repetit veteres mens male sana jocos ;
et quaecumque simul dum fata secunda fuerunt
egimus, illa meo pectore fixa manent.
Ipsaque deliciis quondam loca conscia nostris
pabula dant lacrimis, materiamque meis.
Atque ita fortunae cogor meminisse prioris,
ex omni crescant ut mea parte mala.
O mihi perpetuos facies paritura dolores ;
o male luminibus lumina visa meis !
Numquam igitur placida securi pace fruemur ?
Fletibus aeternis nec modus ullus erit ?
Quod nisi devictam mentem spes blanda foveret,
isset ad extremam fabula nostra manum.
Atque meos casus aegre ferretis amici,
cum cinis exiguus et levis umbra forem.
Forsan et ex vobis aliquis, quem Cynthius audit
scriberet in tumulo talia verba meo :
"Hic tegitur Titus, lento consumptus amore,

impia cui mortis causa puella fuit.
Haec quisquis legeret, sortem miseratus iniquam,
diceret : infelix, qualis amator eras !
Sedibus elysiis tua molliter umbra quiescat,
vere ubi perpetuo ridet amoenus ager ;
molliaque irrorant salientes gramina rivi,
et levibus foliis abdita garrit avis."
Forsitan et lacrimis pius indulgeret, et idem
serta daret gelidis myrtea marmoribus.
Tu, sive admissus magnae penetralibus aulae
aspectu frueris, colloquioque Ducis,
seu divina tibi Ciceronis scripta leguntur,
seu Stageritae verba diserta senis,
sive Plato, seu te pictura moratur Homeri,
seu legis altisoni grande Maronis opus ;
sive quid egregium, solita gravitate, reponis,
quod praesens aetas, posteritasque probet ;
seu tua de rerum solers facundia causis
disserit, aut magna sidera mente notas ;
seu prodire paras aegris laturus amicis
gratum Paeoniis artibus auxilium,
cura mei subeat, nec fido corde recedat,
si mens haec uni dedita, amice, tibi est.
Et quoniam prohibent aliter me vivere fata,
et de me certa est alea jacta manu,
supplicibus votis mecum pia numina flecte,
ne mihi difficilis perstet amica diu.
Tunc ego divinos ausim superare poetas,
fingere Pierio carmina digna choro.
Vosque intermedius placida versabor in urbe,
et pleno cupiam laetus adesse foro ;
nec gravius tulerim, si quis mea gaudia quaeret
maestave mutarit cur novus ora color.
Interea, gravis insano stridore procella
dum furit, ac ventis aequora pulsa fremunt,
ipse sub exigua timidus statione latebo
si tamen huic statio est, quo feror, ulla mari.

# *LIBER SEXTUS*

## DE OBITU BAGARINI ACCIPITRIS EGREGII AC DE EIUS CLARISSIMIS LAUDIBUS

E6_1

Si qua tuas lector Bagarini venit ad aures
forsitan ex aliquo fama relata loco,
ille hic, Cosmiaca pulcherrima cujus imago,
ac verae similis, tam bene picta manu est.
Non fuit accipitres inter formosior alter,
nec magnis meritis carior ullus hero.
Neve quis ignoret propriae data praemia laudi,
ex ipso discat carmine qualis erat.
Purpureis maculis plumam insignibat et auro,
qualis apum decorat corpora picta color.
Penna fuit dorso si non argentea, saltem
argento similis, vel speciosa magis.
At procera caput cervix fulcibat honestum
desuper, inque oculis vividus ardor erat.
Cauda nec in longi speciem temonis abibat
nec brevis, at potius inter utrumque fuit ;
acer inhaerebat pugno, et formidinis expers
horrebat nullas nocte dieque manus.
Blandiciis gaudebat heri, placideque movebat
alternos agili dexteritate pedes.
Nulla recusabat capiti velamina mitis
accipere, et tamquam luce careret, erat,
illo non alius pernicibus ocior alis
in miseras tanta strage ruebat aves ;
non fuga perdici non magni corporis ingens
Phasiacis robur profuit alitibus.
Non illum vano cuccus deceperat astu,
dum vagus incertas itque reditque vias.
Non tibi se eripuit turtur, Bagarine, sequenti ;
non velox pennis, et pede segnis anas.
Congressusque tuos corvi tremuere feroces
et picas leto tradere lusus erat.
Haud facile evasit, quem tu semel unguibus hostis
attigeras, quamvis strenuus ille foret ;
quin etiam parvas volucres placidissime rerum
ad domini assueras ipse referre manus.
Nec minus ex altis ad sibila prima redibas,
arboribus, medium sole tenente diem.
Teque canum quamvis avidorum laederet error
praeda sub hamato dum pede capta jacet,
non tamen ingenuum tibi cor excanduit ira :
parcebas, veniae certaque signa dabas.
Ad speciem si res deducitur, omnia magna

et praeclara quidem nemo fuisse neget.
Ista sed immiti virtus te funere rapto
ecquid erit paucos post, Bagarine, dies ?
Aut nihil, aut aliquid, de quo non multa loquantur
ipsi etiam, qui nunc fortia facta probant.
Multos prisca viros insignes protulit aetas,
exstincto quorum corpore fama jacet.
Mortalique manu totum quaecumque per orbem
sumptibus immensis structa fuere, cadent.
Hoc facit annorum series, nisi temporis atros
exsuperent morsus scripta diserta virum.
At tibi, si nequeo vitae immortalis honorem
non permansuris tradere carminibus,
si mea jam notis sparsere liquoribus ora
Sandalus, et Nymphae quae loca sacra colunt,
qualiscumque mihi libato venit ab amne
in laudes surget spiritus ille tuas.
Et memor officii semper gratusque piusque
incidam tumulo talia verba tuo :
"Hoc jacet accipitrum Bagarinus gloria saxo
quem tali dignum munere duxit herus.
Ne Stygis ad nigras inhumati corporis umbra,
si quis adhuc remanet spiritus, erret aquas."

## AD GASPAREM QUENDAM, QUEM CRUDELITER OCCISUM UXOR ASSIDUE DEPLORAT

E6_2

Illa tuos, Gaspar, casus quae fleverat absens,
cum miserae primum fama relata necis,
parte carens animae, quam tecum hinc ipse tulisti
testibus huc fertur condolitura Deis.
Et memor illius, quem non simularat amoris
accendit geminas ad tua busta faces.
Tristis ubi spargit violas et thura crocumque
omniaque haec largo flebilis imbre rigat.
Et complexa tuo gelidum pro corpore marmor
saepe vocat manes, dulcis amice, tuos.
Saepe vocat, teque exstincto crudeliter omnem
spem queritur maestae procubuisse domus ;
nec minus affligi se nunc per sidera jurat
morte tua, luctu nec leviore premi,
quam tibi sive soror, seu vestri sanguinis una
esset, si fallit, quaeque nefanda ferat.
Ecce tibi haec studio meditor dum pauca fideli,
nox abit, atque diem Lucifer ortus agit.
Invita hinc discedo ; vale, carissime Gaspar,
et tua praesentes sentiat umbra Deos.
Quod tibi si dabitur caelestia regna tenere
opta illa nobis in regione locum.
Carminis auctorem, lector, ne quaere, sed unum hoc
dicere me satis est : huic ego amica fui.

Nec quia per tenebras solo comitata dolore
   adveniam, nostrum hoc argue consilium.
Sic opus est, sic res, pietasque, fidesque requirunt
   et facti ratio dissimulanda mei est.

## AD ILLUSTRISSIMAM ET PUDICISSIMAM VIRGINEM DOMINAM BLANCAM MARIAM ESTENSEM. ENCOMION

E6_3

Aemula Pieridum et magnae certissima cura
Palladis, Estensem virgo quae tollis ad astra
eximia virtute domum, cui non tulit aetas
nostra parem, quid primum in te mirabile dicam ?
Unde tuas nunc incipient mea carmina laudes ?
Hinc mihi se se offert regali grata venustas
digna supercilio, et praestantis gloria formae ;
hinc decus antiqua deductae ab origine regum
stirpis, et imperii occurrit sublimis aviti
majestas, per mille gradus, seriemque virorum
ad magnum revoluta ducem, quam Borsius ipse
facta patrum superans, titulis ingentibus auxit.
Egregias animi dotes, ac nobile tantis
Ingenium superadde bonis, et quae tibi nullo
improba fortunae eripiet violentia casu.
Ista simul repetens animo, subsistere cogor,
ingeniique labat tantae sub pondere molis
cymba gravata mei, neque enim discernere promptum est
quam cui nos deceat laudum praeferre tuarum.
Sed quoniam neque opes, nec candida forma, nec aetas
florida vitali fruimur dum lumine, semper
certa manent, quamquam haec in te sunt, Blanca, relinquo.
Illa magis, quae vulgus iners ignorat, et olim
quae tibi largita est Divum indulgentia, verbis
exsequar, illa equidem multum mirorque proboque
tempore rara tuo et paucis communia tecum.
Qualis enim, quantusque tuo sub pectore regnet
doctrinae caelestis amor, legumque sacrarum
quae tua relligio, quae sint pietasque fidesque,
insignis vitae ratio, et sine labe verendi
testantur mores, ac mens obnoxia nullis
criminibus, sed recta, operumque inimica malorum.
Quid nunc virginei referam praeclara pudoris
munera ? Quo laudum in genere, haud superaris ab ulla
et licet ante annos juvenili aetate, senilis
mens tua facta regat levibus contraria curis,
non tamen usque adeo Lachesis te pectore agresti
finxit, et indocilem gestu formavit inepto,
ut rudis ad molles choreas cantusque sonoros
accedas, quibus et raro ludensque vacasti,
non sine laude tamen. Sacram quid Apollinis artem,
quid concessa tibi citharae solemnia dona
commemorem ? Et digitos dulci cum voce loquentes ?

Jam manuum artifices omnis labor iste tuarum
exsuperat, solersque tuo concedit Arachne
victa magisterio, atque parem sibi Diva fatetur
de capite orta Jovis, studiumque favore benigno
nobile prosequitur, nec talibus invidet orsis.
At quicquid levibus filis connectis, et auro
docta simul varios apte immiscere colores,
quicquid acu pingis, longum est narrare, neque inter
singula versari, quamvis pulcherrima ducam,
est animus : taceo phaleras ensisque decori
vaginam insignem, et tanto dignissima dona
Principe, mille tua perfectos arte labores,
qui laudem simul et magnum meruere favorem :
praetereo et quicquid populi pervenit ad aures.
His aliud tibi majus inest, quod nulla tacebit
posteritas, nomenque tuum indelebile reddet :
te chorus Aonidum secreta per avia ductam
Pierios haurire lacus, umbrasque subire
lauriferi nemoris, sedesque habitare beatas
permittit, comitemque sacri jubet agminis ire.
Hinc fluit ingenuus vigor, hinc sublime videmus
Ingenium, hinc nitidi facundia provenit oris,
sive libet faciles numeris includere versus,
libera seu pedibus componere verba solutis ;
sive quid ipsa paras Graiae non inscia linguae.
Nec satis est si te nuribusque, virisque Latinis
praeferimus, quos nostra vident nunc saecula, sed jam
vatibus aequari meruit tua laurea priscis.
Quod si Pegasidum vestigia clara sequentes
miramur colimusque viros, quam justa puellam
gloria tale aliquid meditantem ad sidera tollet ?
Cum tibi praesertim majorum splendor et altae
nobilitatis honos qua nunc illustris haberi
ipsa etiam poteras, nullo accedente labore,
staret et in magnis opibus fortuna teneret,
regales inter mensas, cultusque beatos,
quae facile et fortes animos infringere et almis
a studiis revocare solent, neque inepta loquacis
grandibus avertit coeptis sententia vulgi
spernentis, quae vana putat, nec te movet id quod
vatum cura sibi et Musis hoc tempore cantet.
Immortale igitur nomen virtutibus istis
Blanca feres, nec te majorum sanguine ab alto
degenerem arguerit, cum postera venerit aetas.
His amor, atque hominum studia incenduntur honesta,
certatimque colunt, eadem haec tibi numina Divum
conciliant, magnusque piis affectibus ardens
se fratrem, patremque tibi Dux Borsius offert.
Atque ita percepto laudum rumore tuarum
ille comes, bello praestans Federicus, et armis
nec rationis egens, Urbini optavit ad urbem
te duxisse nurum et caro conjungere nato.

Eheu, quam votis hominum contraria saepe
fata obstant, neque habet certum fortuna tenorem !
Quae miseranda tuos lugebunt carmina casus,
infelix puer ac teneris exstincte sub annis ?
Heu quanto patriae gemitu, quantoque parentum
illuxit funesta dies, quae te ultima terris
abstulit, incoeptos frustra abrumpens hymenaeos,
spemque simul, tantae quam mox dabat indolis ardor !
Non ego te lacrimas illo tenuisse pudicas
funere Blanca reor, quamquam tibi nomine tantum
cognitus ille foret, tuque illi nomine tantum
cognita, et alterius faciem ignoraverit alter.
Hoc mihi persuadent manifesti signa doloris
velatumque diu caput et lugubris amictus,
quodque inclusa domi numquam spectanda per urbem
incedas, nisi virginibus cum invisere sacris
templa habitata juvat, coetu comitante pudico.
Ista tibi insignem sine fine modestia famam
per gentes dabit, et laudes occasus et ortus
australisque plaga, et gelidis Aquilonibus horrens
audiet ora tuas, teque alti regia caeli
agnoscet tellusque et saxa loquentur, et undae.
Perge, puellarum decus, et qua dextera monstrant
numina, carpe viam, atque animi bona (quod facis) alto
imperio, atque opibus regum potiora superbis
et niveo, roseoque magis pretiosa colore
esse puta, et Musas, pulchrosque amplectere honores
Palladis ; haec tristes nobiscum ferre procellas
fortunae poterunt, quoties contraria surget ;
illa cito effugiunt nec qui certamina segnes
prospiciunt, sed qui pugnant meruere coronas.

## AD ILLUSTREM ET OMNIUM VIRTUTUM GENERE PRAEDITAM BLANCHAM MARIAM ESTENSEM, VIRGINEM PUDUCISSIMAM ASPICE SIDEREO FACILIS MEA MUNERA VULTU, SANGUINE MAGNORUM NATA PUELLA DEUM.

E6_4A

Aspice sidereo facilis mea munera vultu,
   sanguine magnorum nata puella deum ;
munera si tantum spectes, haud digna videntur
   illa in regales, Blanca, venire manus ;
maxima sed certe duces, si nostra putabis
   quae sit in Estensem, mensque fidesque domum.

## AD EAMDEM

E6_4B

O Latiae virgo decus admirabile gentis,
   o soror et magni filia cara Ducis,
quam decor et vitae commendat candor et aetas,

virginei comitem Phyllida sume chori.
Ad te miratrix laudum, fautrixque tuarum
venit ab Etrusco dia puella solo ;
et pudor, et pietas gratam fecere Dianae
artibus his eadem cara futura tibi.

## AD RIPAM

E6_5

Ripa, licet regum genus alta ab origine ducas,
exsuperet Phrygium forma superba Parim,
ditibus incedas gemmis oneratus et auro,
servet inexhaustas ferrea turris opes ;
structurae egregio quamvis domus ordine pulset
alta laboratis sidera marmoribus,
pomiferi nemoris te protegat umbra per aestum,
serpat ubi gelidae rivus amoenus aquae,
nec tibi deficiant quae desidiosa voluptas
appetit, haud ideo te rear esse Deum.
Immo ea si videam te fati munere adeptum
et studium vitae pendeat inde tuae,
non a me pluris fieres quam Matthula, qui nec
quicquam in se pensi, nec rationis habet.
Sed tibi non desunt longe his meliora, quibus fit
nomen ut observem, Ripa diserte, tuum ;
cui magis est Latiae nitor et facundia linguae
cognita ? Quis Graio doctior eloquio ?
Quis juvenum tanto moderari examine mentes
novit ? Et ingenuis artibus imbuere ?
Tu rectum sequeris, vitium fugis, optima suades :
tu sanctae constans cultor amicitiae.
Non tibi tabificus carpit praecordia livor,
non te spes vana credulitate regit ;
non animi vires frangit dolor, improba non te
transversum attonitis sensibus ira trahit.
Te juvat alterius benefacta audire nec ulli
detrahis, atque bonos officiosus amas ;
te fors non potuit male sana per ocia talem
fingere, sed virtus et labor et ratio.
Ergo tibi meritas certant impendere laudes
ad quos fama tui pervenit ingenii :
horum ipse in numero, tenui licet ore susurrem.
Conor idem ; tu, qui te veneratur, ama.

## AD PHILOMELAM.
## LUSCINIAE GRATIAS AGIT PRO EIUS DULCISSIMIS ET CONTINUIS CANTILENIS.

E6_6

Aemula divini suavissima carminis ales,
quae virides umbras, et loca sacra tenes,

mollibus et variis quae tot discrimina vocum
flexibus, humana dulcius arte refers,
munere pro tali tibi quid Philomela rependam ?
Praemia quae tanto digna labore putem ?
Dum vagus huc illuc hortis genialibus erro,
miror et artifici culta vireta manu,
hospitis officio tu protinus usa benigni,
fingis in adventu carmina mille meo.
Nec procul hinc densis canis abdita frondibus, altae
ilicis in ramo, populeisve comis ;
verum hic juniperi insidis mihi proxima trunco
non imitabilibus me venerata modis.
Et licet hac perstem tibi tam vicinus in umbra,
deque tua suavi garrulitate loquar,
nil tamen ipsa times, nec gutturis ista canori
sedulitas ideo dulce remittit opus.
Grata sed in longum luco resonante querela
ducitur, argutis continuata modis.
Nos vero, tali quoniam dignaris honore
dicimus in laudes haec tibi pauca tuas :
humanas avium quae mulcent cantibus aures
cedere carminibus carmina cuncta tuis.
Vive diu, similisque tui generata propago
finiat extremum non nisi sera diem.

HORTATUR SE IPSE UT AD AMICAM PROPERET.
AD PHILIROEN PROPERANS, PEDES SUOS AD ITER HORTATUR ET NE QUID IMPEDIMENTI IN VIA OCCURRAT IN PRIMIS OPTAT

E6_7

Ite citi, volucresque pedes praevertite ventos,
et loca deliciis quaerite nota meis :
nota meis loca deliciis, ubi candida saepe
mecum dignata est ludere Phylliroe.
Phylliroe, nullis faciem perfusa venenis,
cui proprius roseo fulget ab ore color :
cujus inauratos cupiat sibi Cynthia crines,
cui faciles oculos invideant Charites,
formosasque manus doctisque laboribus aptas
juret persimiles ipsa Minerva suis.
Tum reliquis agiles respondent partibus artus,
nec tu in ea ut quidquam carpere, Mome, queas.
Talis erat virgo Caeneia, talis et altum
per mare Dictaeo vecta puella bove ;
talis erat fulvi decepta cupidine nimbi
et quam sub falso lusit olore Deus
talis erat vatum Omphale celeberrima cantu,
talis et Idaeo rapta Lacaena proco ;
talis et illa fuit, quae me sibi junxerat olim,
nondum juratam fallere docta fidem :
cujus ego immite imperium tot perditus annos

multaque non sano pectore digna tuli
sed tua Phylliroe quamvis collata deabus
ambiguum valeat reddere forma Parim,
candida simplicitas, tumidoque carentia fastu
pectora, sunt ipso grata decore magis :
adde fidem, quam nec conjux Ithaceia vincat,
nec Mithridateas quae comitata vias,
nec quae Tartaream properavit adire paludem,
defunctum Evadne sponte secuta virum.
Te licet in primis cupiam, formosa, videre,
vixque brevi patiar tempus inane morae,
Triptolemi tamen haud optem conscendere currus,
ire nec in celeri Bellerophontis equo ;
aut levibus Persei volitare per aera pennis,
aut furibunda tuis currere Colchi rotis ;
nec Zoroastreas artes, magicive requiram
carminis auxilium, Daedaleamve fugam ;
nec mihi, si liceat, pedibus talaria curem
picta galeriti nectere Mercurii.
Unus enim nobis poterit satis esse Cupido,
quo duce susceptum perficiamus iter ;
qui mihi semper adest, levibusque quod excitat alis ;
nostrum furtivo flamine corpus aget.
Vix mihi, jam videor pedibus contingere terram,
vincit et humanos strenua planta gradus.
Sublimisque pari quamvis discrimine Phoebus
distet ab Eois, occiduisque locis,
et Canis exurat sitientes fervidus agros
mutaque sub densa fronde quiescat avis,
non tamen accelerans immenso laedor ab aestu,
nec mea longiquum membra fatigat iter.
Quoque magis propero, tanto magis ipse labori
sufficio, et vires impiger auget amor.
Heu quanto afficeret me sors inimica dolore,
si qua meum subito, causa teneret iter !
Et mihi jam senior properanti occurrat amicus,
quem fugere oblatum me pudor ipse vetet,
singula qui vario cupidus sermone requirat,
sciteturque viam, propositumque meum,
multaque contexens longis ambagibus erret,
atque importunus multa referre velit :
ut Ferdinandus, magni post fata parentis,
Ausonias terras Parthenopenque regat ;
nuper ut urbano Florentia concita motu
tristia det miseris civibus exilia ;
ut trepidus Borges Romanam liquerit urbem,
maestaque Pontificis funere turba sui.
Ut Pius insignis magna virtute, fideque
aeterni in terris jura parentis agat.
Sforciadem Venetumque probet, quod foedera pacis
securus studio servet uterque pari.
Hinc Malatestigenae miretur Principis artes

bellorum egregias, eximiumque decus ;
illinc innumeris Federicum laudibus ornet,
praestantemque manu, consilioque ducem.
Nec minus Estenses heroas, et inclita facta
a primis orsus dicat originibus ;
ingressusque tui titulos genitoris et acta
conferat ad laudes se, Leonelle, tuas.
Unicus hinc phoenix Latio dux Borsius illi
argumenta novae praebeat historiae :
et referat quantum nostro sit in Hercule laudis
et Sismundeo qualis in ore decor.
Tum patris et patrui vestigia clara sequentem
Estensem his cupiat jungere Nicoleon.
Addat et immitem Turcam nostraque ferocem
segnitie, et captis urbibus excidia
jam Pelopea Getas regnare per oppida, jamque
Adriaci in populos arma parare maris.
Quod, suadente Pio, Federicus Caesar in hostem
ardeat, et vires concitet ipse suas ;
quod paret ingentem commota Britannia classem
et repetat forti Sequana regna manu,
parte alia veteres hostes insurgere Gallos,
tutantes magnis viribus imperium.
Nec Regem oblitum Italiae carive nepotis,
maximaque ad Ligures mittere subsidia,
ergo ne similis turbet nova gaudia casus,
neu videar Dominae lentus, inersque meae,
nunc precor aerio nebulae circumder amictu,
qua Venus Aenean induit alma suum.
Sic demum jussas potero contingere sedes
tutus et optatam cernere Phylliroen.
Dum loquor, et celeri moveo vestigia passu,
extremae apparet meta propinqua viae,
jam procul auspicio servantem compita quercum
et veteres fagos populeumque nemus :
ecce levi flatu teneris de frondibus exit
et cadit in faciem lenior aura meam.
Huc ego crediderim Zephyrum migrasse tepentem,
captum sideribus cara puella tuis,
qui mihi non stulte sibi consuluisse videtur,
Chlorida si pro te deserit ille suam.
Nam quid in extremis vidit pretiosius oris ?
Quid nunc in nostro pulchrius orbe videt ?
Laeva Padi ripas, vetus at mihi dextra sacellum
monstrat, et annosae culmina parva casae,
quam lentis ederae complexibus undique cingunt,
delet ubi raros alta senecta Deos.
Nil ibi vel Zeuxis, vel magnus pinxit Apelles,
nil ibi Phidiacae composuere manus ;
lignea crux vero media quae pendet in aede
egregia clari Mentoris arte caret.
Paene suis convulsa trahens de sedibus olim

fundamenta rapax sustulit Eridanus,
proximaque aggeribus ruptis per culta vagatus,
mucida sacrilegis tecta replevit aquis.
Muscosus templi paries, humorque situsque
praeteriti reddunt tristia signa mali :
nec procul hinc sterilis campi septena sacerdos
conductis pauper jugera bobus arat.
Huc mea, simplicibus Nymphis comitata Dione,
cincta caput vario flore venire solet,
cujus in adventu templis augustior aedes
omnibus haec cunctas unica vincit opes.
Ecce diu latitans aperitur villa remotis
arboribus carae villa beata Deae.
Protinus, hac visa, celeri praecordia motu
venturae exsultant praescia laetitiae
quid mihi fiet amor, blandos cum cernere vultus
fas erit ? Et niveam cum dabit illa manum ?
Tunc ego non dubitem Croesi contemnere gazas
et tot Pelleae clara trophaea domus.
Si quis enim crispos ad frontem ludere crines
viderit, et quali se ferat alta gradu,
noverit argutis eadem quid possit ocellis,
ut mortale nihil dulcia verba sonent ;
sentiet Aetnaeis certantes ignibus ignes
et poterit constans aequa et iniqua pati.
Quod si forte alicui dignabitur oscula ferre,
altera vel proprio sanguine laetus emet.
Vulnus et auxilium quod Pelias hasta tulisset
mirabar, fati nescius ipse mei ;
desino nunc, facilisque inducor ut omnia credam
si necis, et vitae jus habet una meae.
Illa quidem media Phalarim placaret in ira,
tardaretque tuas, saeve Perille manus,
terribilemque suis oculis mitescere Martem
cogat, et iratum ponere tela Jovem.
Felices agri, fortunatique coloni,
quaeque simul colitis rura benigna Deae !
Namque ubi vere novo genialia tendit in arva,
vobiscum dulces protrahit illa moras,
vobiscum loquitur, vobiscum carmina cantat,
vobiscum faciles exhilaratque choros ;
et modo vobiscum cultis spatiatur in hortis
et modo plena vago retia pisce trahit ;
nunc manibus doctis imitatur Palladis artes,
nunc molles elegos et mea verba legit.
Fallor ? An haec Ceiris, Dominae carissima nutrix,
substitit ? Ac verso respicit usque gradu ?
En rapidis iterum fertur cita passibus : ipsa est
notaque, ut accedam, dat mihi signa manu.
Progrediar, quaeramque meis fiducia votis
quae sit, quidve novi sedula portet anus :
quod tua si praesens aderit solertia amanti,

talibus officiis aurea Ceiris eris.

## AD CAROLUM. AMICUM SUUM OPTIMUM, QUOD PHILLIROEM VEHEMENTER AMET.

E6_8

Si vigiles curae, subitus si pallor in ore,
si crebros gemitus edere, pauca loqui,
si nunc jucundo, nunc tristi incedere vultu,
si sperare aliquid, plura timere simul,
si properare modo, modo lento incedere passu,
si vario mentem flectere proposito,
si fora, si coetus hominum vitare frequentes
indicium praebent, Carole, amoris, amo.
Si quid amem quaeres, ubi nos male fida reliquit
Anthia, successit candida Phylliroe ;
Phylliroe nullis faciem perfusa venenis,
cui proprius roseo fulget in ore color.
Illa mihi furtim me surripit, hanc sequor unam ;
hac sine non videor vivere posse diem.
Hujus ego insignem non tantum, Carole, formam,
verum etiam mores, ingeniumque probo.
Illa meis leges oculis imponere digna est,
illa meos sensus abstulit, illa tenet :
illa tenebit, erunt donec vaga sidera caelo,
donec erit tellus, aequora donec erunt.

## PHYLLIROES AMICAE EPICEDIUM

E6_9

Quo miser usque tuos celabis, Tite, dolores ?
Aegraque mens tacitum quo premet usque malum ?
Dissimulare prius licuit, dum sol tibi fulsit,
candidus et placidae spes bona sortis erat :
nunc fera consilium superat violentia fati,
nunc ars indomito victa dolore perit.
Maxima saepe latent sub tristi gaudia vultu,
at sua cor laesum non bene damna tegit.
Infandos luctus et vulnera pectoris ede,
atque ea quae nulli nota fuere prius.
Quae si forte times hominum vulgare per ora,
silva locum lacrimis praebet opaca tuis :
silva locum praebet lacrimis, ubi semita nulla
cernitur, humani signa nec ulla pedis.
Hic querulas tantum volucres habitare ferasque
credibile est, procul hinc arbiter omnis abest.
Sol, cujus radios umbrosa cacumina silvae
huc vix oppositis frondibus ire sinunt,
qui nunc Haemonii non immemor ignis et undae,
forsitan hic mecum condoliturus ades,
testis eris nihil esse mihi, cur vivere curem,

aetheria postquam lux mea luce caret.
Nam quid ego hic aliud, nisi durum ac flebile semper
sublata sperem te mihi, Phylliroe ?
Tu meus ardor eras : in te mea maxima cura
haeserat, et voti summa caputque mei.
At nunc a patria, saevi contagia morbi
dum fugis, indigno funere rapta jaces.
Et mihi jacturae tantum, tantumque doloris
conditio dirae mortis acerba tulit,
ut semper misero justissima causa querelae
crescat, et aeternis commorer in lacrimis.
Heu saevae leges et dura potentia fati,
humanum sinitis quae nihil esse diu !
An fuit omnino vestras infringere vires,
si paucos etiam viveret illa dies ?
Nunc primum viridis campos ingressa juventae,
non extremus honor temporis hujus erat.
Dedecet immites et acerbos carpere fructus,
illum quem culti spes tenet ulla soli.
Vos quoque tam subito decus hoc talemque puellam
nondum matura morte tulisse nefas.
Serius aut citius vestri mortalia fiunt
juris, et haec illi sors adeunda fuit.
Heu funesta dies, nigro damnanda lapillo,
tristibus infaustum nomen adepta malis,
qua puri quondam radios imitantia Phoebi
deseruit solitus lumina maesta nitor ;
qua bene compositos artus faciemque serenam
flaventesque comas invida texit humus ;
qua vigor ingenui defecit corporis et qua
tabuit egregiis artibus apta manus ;
qua vox illa prius morientibus aemula cygnis
coepit in aeternam muta silere diem ;
quaque pios actus mors interrupit, et altae
infregit mentis nobile propositum !
Heu nimium miseri infortunatique parentes,
conficiet verus quos sine fine dolor !
Vos luctu assiduo sensum amisisse malorum
crediderim in vita quos mora longa tenet.
An potuit vestros Niobe superare dolores ?
Cognitaque adversis casibus Antiope ?
Plurima namque licet sint utraque tristia passae,
haud minor haec illa clade ruina fuit.
Seu mores, sive ingenium, seu gratia formae
quaeritur aut priscae nobilitatis honos,
haesit in hac una simul harum gloria rerum,
hujus in occasu tot periere bona.
Sic vestra in primis aegre jactura ferenda est,
nec dabit his aetas fletibus ulla modum.
At sacer ex illo tunc cum discederet ore
spiritus, et vestras quaereret illa manus,
inque oculis vestris cum lumina fixa teneret,

quid vobis animi consiliive fuit ?
Si quemquam potuit praesens exstinguere maeror,
perdere vos etiam debuit illa dies.
Non habitura parem terquinque peregerat annos,
Phylliroe vestros inter adulta sinus.
Phylliroen vobis tantum ostendisse videntur
et subito vobis eripuisse Dei.
Non generum vobis, non caros illa nepotes
praebuit, aut dotis dona parata tulit.
Divitiisque brevi gavisa et honore parentum,
mox erit exiguus filia vestra cinis.
Sed quid ego infelix vestra infortunia tantum,
ipse velut patiar vulnera nulla, queror ?
Igne cupidineo quicumque fideliter arsit,
unica cui praestans cura puella fuit,
cui placitum subitis fortuna abrupit amorem
casibus, aerumnas cogitet ille meas :
ille suo exemplo poterit mea tristia fata
discere, et (arcebit) pectoris acre malum.
Si possent aliqua caelestia Numina flecti,
nec vetitum certis legibus esset iter,
quod prius obtinuit Stygiis a manibus Orpheus,
sollicito Superi nunc mihi forte darent.
Si proprios iterum levis umbra rediret in artus,
carpere concessas me duce jussa vias,
forsitan admonitus quo rursum perdita pacto
flentem maesta virum liquerit Eurydice,
cautius ingrederer nocitura pericula vitans
et quaecumque solent gaudia magna sequi.
Ah miser ! Atque iterum miser ! Et sine pectore Tite,
quo dolor impellit ? Quae tibi verba cadunt ?
Tune Deum stabili firmatas ordine leges
credideris certam deficere ante diem ?
Cum semel hinc alium raptae mittuntur in orbem,
terrenasque animae deseruere domos,
praemia pro meritis referunt, sedesque paratas
(sic statuit Superum provida cura) tenent.
Corpora nec surgunt leto defuncta priusquam
ultima judicii venerit hora sui.
Si tamen aeterni veneranda potentia regis,
qui caelo et terris imperat atque mari,
Omnipotens qui solus agit mirabile quicquid
cernimus et quidquid lumina nostra latet,
si tibi Phylliroen nunc illa potentia reddat,
ne noceas huic quam diligis ipse, cave.
Nam nisi vera loqui piget, his egressa tenebris
aetheriis gaudet sedibus illa frui.
Et pudor, et nulli pia mens obnoxia culpae
rectum iter ad Superos, unde recessit, habet.
Phylliroe felix terris colit astra relictis,
magnorum in numero jam nova Diva Deum.
Pro quibus inducor ne non ego gratuler illi,

ne videar tantis invidus esse bonis.
At, quoniam solitos misero mihi cernere vultus
non datur et placidae gratia frontis abest,
dum moror in terris, dum tu colis aethera virgo,
accipiet lacrimas dulcis imago meas.
Haec tibi, Phylliroe, similis vera omnia de te,
si modo non desit spiritus, ecce refert.
Haec mihi grata comes, seu tendere solis ad ortum,
seu juvat Hesperium visere littus erit ;
haec mihi, si Geticas rupes calidamve Syenen
transferar, in caro semper habenda sinu.
Huic ego curarum seriem narrabo mearum,
et quoties cupiam te, mea vita, sequi.
Namque, ubi in humanis nulla est constantia rebus,
quid spe fallaci pascere vota juvat ?
Illi vita fuit longissima, quisquis honeste
occidit et spretis quae videt, alta petit.
Interea, dum fila sinunt mea currere Parcae,
nec summi injussu Regis abire licet,
candida quod relevent afflictum insomnia laetor,
effigiem referunt quae mihi saepe tuam.
Nam quoties nitidi capitis pulcherrimus ordo
per somnos oculis visus adesse meis ?
Attonito quoties gemini se luminis ardor
obtulit ? Et miro nota decore manus ?
Mutua quid referam, quae tu mihi saepe videris
accipere, et solitis reddere verba sonis ?
O ego quam tali deceptus imagine felix !
O placidae noctes ! O mihi grate sopor !
Atque utinam non tam subito me somnus et error
linqueret, ac mecum staret uterque diu !
Scilicet ut tecum maneam, pulcherrima, donec
longa meae veniant taedia laetitiae.
Dum mortalis eras, neque adhuc te in parte Deorum
regia siderei viderat alta poli,
sola tamen mihi numen eras, et criminis expers
candidus impura labe carebat amor.
Te supplex igitur meritis pro talibus oro
per fratrem, per qui te genuere precor,
ut tua praesentes Superos mihi gratia reddat,
utque mei numquam non memor esse velis.
At me nulla tui capient oblivia, seu me
lux alat, aeterna sive ego nocte premar.
Et quae praecessit Maias octava Calendas
postquam non ultra tu mihi visa dies,
illa mihi sollemnis erit lacrimosaque semper
indicium tanti principiumque mali.
Hic tibi, dum licuit nobiscum ducere vitam
me tenuit laudis maxima cura tuae ;
nunc quoque neu praesens neu postera nesciat aetas
qualis sub gelido marmore nympha cubet.
Ipse tuum nostro signavi carmine bustum,

qua Padus illabens rura paterna videt ;
at quicumque leget miseri monimenta doloris,
verba sibyllino tradita ab ore putet.
Qua nihil in terris tulit haec pretiosius aetas,
quae potuit credi, dum fuit, esse Dea,
Phylliroe jacet hic teneris exstincta sub annis,
proxima Ferrariae dum tenet arva suae,
tempore quo misera pestis bacchatur in urbe,
nec sors vicinis parcit iniqua locis.
Crudeles nimium Divi, crudelia fata,
perdere quae tantum sustinuere decus.

## AD PSYTTACUM

E6_10 Psyttace, quid frustra misero mihi nuper ademptam
Phylliroen tanta sedulitate vocas ?
Parce, precor ; parce insanos augere dolores :
heu periit quam tu vivere forte putas,
parce ; meo toties animam de pectore vellis,
Phylliroen quoties blandula lingua refert.
Heu periit neque eam spes amplius ulla videndi
quam propter nobis vivere dulce fuit.
Si sensus tibi, si ratio est, ut habere videris,
communi tristem te decet esse malo.
Non sum equidem oblitus, tibi quae responsa vocanti
poscentique dapes saepius illa daret.
Et memini aurato dum te prodire juberet
carcere porrectam te insiluisse manum.
Atque illinc dulcem, rostro parcente, salivam
suxisse illaesis molliter e labiis.
Post, ubi divinae laudaras sidera frontis,
non homo dicebas, sed Dea Phylliroe est.
Prisca salutato si paucis Caesare verbis
nigrantes aetas nobilitavit aves,
quid tibi facunda fingenti plurima voce,
tam bene, tam docte, Psyttace, laudis erit ?
Laudo equidem, ingenium miror ; debere fatemur
nos tibi : nulla tuis gloria par meritis ;
sed ratio et tempus, fortunaque lubrica certam
dant nostris legem rebus et eripiunt.
Haec igitur nos causa monet desistere coepto,
nonnumquam et placitum flectere propositum.
Quid loquor ? Unde meae tanta inconstantia mentis ?
Quod modo damnaram, Psyttace, nunc cupio.
Forte meis aliqua ratus es te posse mederi
luctibus, hos ubi sum dictus adisse lares.
Quodque ita sit, cum me tristi maerore silentem
vidisti et multo rore madere genas,
tu quoque, commotus graviter sociusque doloris,
ecce piis lacrimis lumina maesta rigas.

Functus es officio veri et prudentis amici,
   nilque reliquisti quo mala nostra leves.
Perge, precor, Dominaeque tuo communis utrique
   semper adorandum nomen ab ore sonet.
Atque utinam in saevo pietas tua vulnere fiat
   tam dulci eloquio Pelias hasta mihi.